



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

Liber CCXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CCXXX.

CLEMENS. XII. PONTIF. MAXIM.
CAROLUS VI. ROM. IMP.

§. I.

*Bellum Caroli VI. Cæsaris contra
Turcas.*

Hunc currentis sæculi annum trigesi-
mum septimum auspiciamus a bel-
lo Turcico Cæsareis armis parum fau-
sto. Occasio illius erat hæc: Maho-
met V. Ottomanicæ Imperator, cum se-
datis Polonorum turbis, & confecta
cum Persis pace nil, quod hostile time-
ret, habere videbatur, pro inquieta sua
indole Moscoviam infestare statuit: ne
vero in se fractæ pacis recens in itæ ca-
lumniam accerferet, clam cum supre-
mo Crimææ seu Tartariæ Minoris Prin-
cipe consilia cudit, eumque submini-
strato copioso armorum apparatu, he-
genti-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

gentique pecuniarum vi sollicitavit, ut collectis octoginta Prædatorum millibus Daghaſtanam Provinciam Ruſſis eriperet: Sultani conſilium pronis auribus amplectitur Princeps prædas ac latrocinia jam ex antiquo, tanquam artem exercere aſſuetus. Primum igitur impetum in Ukraſiam intentat, & non tam ad confirmandum quam per novas cædes atque injurias proferendum imperium converſus, quicquid in propinquo remotoque populorum erat extra ditionis ſuæ fines armis aggreditur, totam Provinciam internecinis tumultibus evertit, & viginti incolarum millia in diram ſervitutem abigit. Id factum, cum Conſtantinopoli innotefceret, verſipellis Sultanus ignorantia alienam crudelitatem excuſavit, & ficta miſeratione pollicitus eſt, non modo illatum a Tartaris damnum reſarcitum iri, ſed ipſum Principem per ſuum Filium injuriæ veniam rogaturum. At tamen Anna Magnæ Ruſſiæ Imperatrix nullam in Turcis fidem eſſe, non uno experimento edocta, Münnicho Belliduci ſuo mandatum dedit, ut cum ſuis copiis in Tartariam irrueret, & Tanaidem gravi obſidione premeret. Ut autem univerſo Orbi Ruſſicæ expeditionis æquitas pateſceret, Oſtermanus Comes Imperii Pro-Cancellarius publico

D d 2

lico

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

lico scripto belli causas exposuit; vicissim autem Mehmet Bassa supremus Vezirius inaudita arrogantia in suo responso ad Europæ Principes dato innotam Ottomanæ Portæ fidelitatem multis extulit violatam, a Russis pacem incusavit, eisque non nisi ex miseratione ad eorum preces armorum cessationem fuisse ad Hirasum fluvium indultam jactitavit, ac denique conclusit, ob quasvis injurias privatis in finibus sine vicini Principis præcitu & voluntate illatas non statim ad arma esse recurrendum. Interim Münnichus Tanaidem urbem expugnavit, & transcensis Præcopensibus aggeribus Koslovum Crimænsis Principis Metropoli (Baziaserai vocant) post cruentam obsidionem, non sine opima præda (tanti laboris & tot periculorum prætio) cepit. Infaustus hic armorum successus Sultanum paulo mansuetiorem reddidit, qui etiam maritimos Principes, ipsumque Carolum Romanum Imperatorem sollicitavit, ut inter ipsos & Russos medias partes agerent: cum autem ipse propositas concordie leges respueret, nec de pace agi pateretur, nisi intra Turciæ fines Ministrorum congressus fieret, & præceteris Tannis redderetur, res ad belli necessitatem spectare videbatur.

S. II.

§. II.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.*De reddenda pace irrito conatu
actum.*

Enimvero hoc responso pacis negotium potius eludi, quam promoveri, probe prospexerat Moscoviæ ac Russiæ Imperatrix; quocirca in novum bellum mente & animo insistere coacta, validissimum exercitum contrahit, quamplurimas naves armis & milite instruit, ac in primum Turcarum occursum omnia parata haberi jubet: Jamjam ad omnem strenue gerendæ rei dexteritatem intentis cunctorum mentibus adversum Ottomanos castra plusquam centum millium Russicæ juventutis habuit. Insuper Imperatrix misso ad Carolum VI. Cæsarem Legato in eventum belli auxiliatrices copias submitti petiit; nec id denegare poterat Imperator, eoquod decem jam annis ante Fædere Russus conjunctus esset. Nihilominus, ne res ad belli fatalitatem deduceretur, omnem opem & operam adhibuit, ut Sultano declararet, se quidem fœderis lege lacesitis succurrere obstrictum, nihil tamen sibi antiquius esse, quam ut de procuranda prius eisdem æqua satisfactione amicabilem transactionem iniret, & pristinam

D d 3

nam

Sæc. XVIII. nam inter utramque partem, si fieri pos-
 A. C. 1737. set, concordiam reddere niteretur: Eo
 fine Imperator die 5. Decemb. anni prio-
 ris Comiti de Königseck Cæsareo bel-
 lici Senatus Præsidi negotium dedit,
 ut hanc Cæsaris mentem supremo Ve-
 zirio scriptotenus, Cæsareus ven-
 Orator Baro de Dahlmann eidem tum
 Babadugæ agenti oretenus aperiret,
 simulque cuncta a præfato Vezirio ob-
 jecta solide dilueret: Horum, quæ ex-
 ponenda essent, tenor erat sequens.

„Primas nunquam non curas a Se-
 „renissimo & Potentissimo Romanorum
 „Imperatore, Domino nostro Clemen-
 „tissimo, publicæ quieti, tum confer-
 „vandæ, tum restaurandæ impendi-
 „tot annorum experientia, optima ni-
 „mirum rerum magistra, universo Or-
 „bi ac Præfulgidæ imprimis Portæ con-
 „stat. Ex quo tempore pax inter ut-
 „rumque Imperium Passarovicii feliciter
 „ter fuit conclusa, tam sancte hac et
 „parte culta fuit, ut Præfulgidæ Por-
 „tæ tunc quoque, cum cruento bello
 „alibi quam maxime esset implicita,
 „conquerendij ansa, & materia am-
 „no deesset. In glorium quippe duci-
 „mus & ab honestate alienum, atque
 „ipso rerum eventu plerumque insa-
 „stum, occasionem potius captare, vi-

„cinorum quietem turbandi, quam Sæc. XVIII.
 „pacta conventa respicere, quibus fa- A. C. 1737.
 „cer, qui humanam societatem ligat,
 „nodus asseritur. Quicumque ergo
 „demum sit rerum seu in Europa seu
 „alibi status, æqua semper nos cura
 „tangit, humani sanguinis effusionem,
 „regionum ac populorum stragem, in-
 „numeraque alia mala, ex bello pro-
 „manantia præcavendi.

„Neque vero in iis, quæ utrumque
 „Imperium immediate concernunt,
 „substitit provida hæc Augustissimi Ro-
 „manorum Imperatoris cura. Pari
 „bona fide tam quæ constantis fœde-
 „rati munia quam quæ amicitiae bonæ-
 „que vicinitatis ratio exposcebat, ad-
 „implere satagens, nihil unquam prius,
 „nihil antiquius habuit, quam ut di-
 „versa hæc ligamina ita inter se con-
 „ciliarentur, ne unum alteri obstaculo
 „esset. Ictum 1726. cum Serenissima
 „& Potentissima Rufforum Autocratri-
 „ce feliciter tunc regnante perenne fœ-
 „dus non in ullius præjudicium, sed
 „mutuæ contrahentium securitatis fir-
 „mius tutamen unice tendebat, &
 „etiamnum tendit. Exin tam ante
 „enatos in Christiano Orbe ultimos
 „motus, quam post eosdem divina fa-
 „vente clementia jamjam sopitos pro

D d 4 „con-

Sæc. XVIII. „conservanda inter Principes Augusti
 A. C. 1737 „simo Romanorum Imperatori partim
 „foederis, partim amicitiae vinculo jun-
 „ctos alma pace, sua ex parte nihil non
 „actum est; studio, affectuque adeo
 „enixo & sincero, ut impensae salutis
 „huic scopo indefessae operae non aliam
 „quam Praefulgidam Portam testem
 „velimus. Cæsareus, qui Constanti-
 „nopoly est, Minister longe fuit in re-
 „bus istis curandis, quam in propriis
 „Aulae suae commodis promovendis oc-
 „cupatior. Quo posset conciliatoris vi-
 „ces rite obire, bis eidem Plenipoten-
 „tiarum Tabulae transmissae. Cumque
 „hostiles incursiones innocentium cæ-
 „des, vicinarum ditionum devastatio-
 „nes, incendia, ruinæ, abducta inde
 „multa captivorum millia, & quæ aliae
 „solent esse luctuosissimi belli diræ le-
 „quelæ, neque illæsa pace locum habere
 „re queant, neque post conclusam etiam
 „cum Russis æternam pacem crebro
 „contra subditas iisdem provincias pet-
 „petrata fuisse diffiteri potuerit Prae-
 „fulgida Porta: per complurium annorum
 „decursum subinde, & quo fieri poterat
 „efficacior modo institimus, ut tanto
 „malo, nihil fausti praesagienti, suffi-
 „ciens adhiberetur medela. Sed tam
 „iusta suadentibus non, uti speraba-
 „mus, propitiæ præbitæ fuerunt aures
 „vel

„vel saltem votis eventus nequaquam
„respondit. Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„Recte utique monet Excellentia
„Vestra, non ob quasvis injurias abs-
„que publico præscitu, & auctoritate
„privatis in confiniis illatas, ad arma
„statim recurrendum, sed sopiendis
„querelis desuper exortis tentanda prius
„amica media esse. Initam hanc viam
„fuisse constans Russorum per tot annos
„patientia testatur. Sed unicuique rei
„suis debet esse finis. Quo immanio-
„res erant illatæ ditionibus ipsorum
„strages, quo diuturnior eorundem
„patientia, & quo frequentiores delatæ
„desuper ad Præfulgidam Portam que-
„rimonix, eo magis par erat, ut con-
„corde cum iis, qui non nisi stabilem
„quietem anhelabant, opera eo allabo-
„raretur, quo & de perpeffis damnis
„iis fieret satis, & de avertendis, &
„præcavendis in futurum prospiceretur.
„Huc Augustissimi Romanorum Impe-
„ratoris desideria, suafus, hortatus,
„ac toties impensa enixissimo studio,
„parique candore officia unice collima-
„bant. Anne vero Excellentix Vestræ
„iudicio eosdem Præfulgidæ Portæ
„sensus esse credi poterat, cum in lo-
„cis, quæ Imperio ejus subsunt, fru-
„stra reclamantibus Russis spolia &
„captivi palam venundarentur, & tam
D d 5 „effre-

Sæc. XVIII. „effrenis licentiæ authores præmia ma-
 A. C. 1737. „nerent, non quas merebantur poenæ
 „Indomitam esse, asserit in binis literis
 „suis Tartarorum, Cosaccorum, & Les-
 „kyorum gentem, atque hac maxime
 „ratione expungere annititur quam ple-
 „rima pacifraga facta, quibus belli ne-
 „cessitatem, ac proinde justitiam Russi
 „superstruunt. Ast non ignorat Excel-
 „lencia Vestra, sæpissime eosdem con-
 „questos, immixtos isti hominum collo-
 „viei, cum in ditiones suas irrumperet,
 „Turcas fuisse, sub vexillis rite mili-
 „tantes. Et si vel maxime assertum
 „hocce, in dubium revocare velimus,
 „qui poterat, stante, quod modo dice-
 „tum est, supposito, a Præfulgida
 „Porta prætendi, ut octoginta de in-
 „domita hac gente millibus transitus
 „per amicas vicinas ditiones pateret,
 „qui poterat hic ipse transitus a gravi-
 „simo earundem damno immunis esse
 „aut qui poterat denique sperari, ave-
 „tendo, quod tam juste metuebatur
 „damno suffectura nova mandata, cum
 „eidem scopo assequendo tot annorum
 „labor haud suffecerit, nec iis, quæ
 „supra memoravimus, illicitis factis
 „Excellentia Vestra aliud quicquam
 „opponat, quam penes Præfulgidam
 „Portam haud stetisse, ut proterva ge-
 „ntis Leges revereri nesciæ ferocia co-
 „hiberetur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„hiberetur? Accedit ducum ita com-
 „parati militis & executionem mandato-
 „rum, quibus exacta militaris discipli-
 „na injungebatur, ei ipsi demandatam
 „fuisse, quem tot præcedentium ma-
 „lorum antesignanum & authorem esse
 „Præfulgidam Portam nequaquam la-
 „tebat. Tempestive hæc monuimus, &
 „cum facillimum adhuc esset, obviam
 „ire calamitatibus, quæ ex post obve-
 „nerunt. Sed rejecta tunc fuerunt &
 „nostra & aliorum amica monita, non
 „ea sane ratione, quæ propenso, unde
 „promanabat, Zelo responderet. Tran-
 „situs, quem nil minus quam innoxium
 „atque adeo gentium juri consonum,
 „fore, facile prævidere erat, publica
 „auctoritate atque aperta vi suffultus,
 „non attenta solenni Rufforum Auto-
 „cratricis Declaratione, subsecutorum
 „eventuum præfaga. Equidem fune-
 „stum auctori suo fuit, quod Præfulgi-
 „dæ Portæ suggestit consilium. Ast si-
 „cuti is dignitate sua non nisi post im-
 „prosperos rerum successus fuit exutus,
 „cum id ipsum exequendi procliviora
 „prius fuissent media, ita comprobantur
 „dis atrocibus injuriis, Augustissimi
 „Romanorum Imperatoris Fœderatis
 „ejus suasu & opera illatis, justissimum
 „de eodem exauctorando decretum
 „vix non sufficere videtur.

Neque

Sæc. XVIII

A. C. 1737.

„Neque justis eorundem Fœderato-
 „rum querelis obstat, quæ porro a
 „Excellentia vestra colorando tam in-
 „lito transitui, seu potius hostili irrup-
 „tioni, obtenditur necessitas, quippe
 „quæ non ejus esse ponderis potest,
 „diræ adeo strages, ac a Tartaris
 „ferri solent, ab amicis vicinis perpe-
 „tiendæ.

„Non poterat serenissima & Potenti-
 „tissima Russorum Autocratrix laculenti-
 „tius edere documentum flagrantis,
 „quo tenebatur, perpetuandæ pacis de-
 „siderii, quam quod tantopere paci,
 „quæ cum Persis tractabatur, includi
 „cupiebat. Sed non æque ac illam
 „Præfulgidam Portam sensisse, dubita-
 „re haud sinunt complura, eaque in-
 „bia argumenta, jussu ejusdem nobis
 „communicata. Non fuisset itaque
 „prætensæ huic necessitati locus, si
 „communem stabilemque cum vicinis
 „quietem asserere in animum induxi-
 „set Præfulgida Porta, faciliore tunc
 „via res tota complanari potuisset. Et
 „docta autem posthac a Persarum Mo-
 „narcha Russica Aula, non nisi id
 „quæri, ut tota Ottomannicæ poten-
 „tiæ vis verti contra ipsam queat, cu-
 „ram sibi Legem impositam esse duxit
 „propriæ salutis curam pacificis suab-
 „bus nostris anteponendi. Ut verum
 „Ex

„Excellentiæ vestræ fateamur, obstu- Sæc. XVIII.
 „puimus visu eorum, quæ nobis de in- A. C. 1737.
 „fensis Præfulgidæ Portæ consiliis &
 „moliminibus fuerunt detecta. Cur
 „tam constanter fuerit recusatum, Rus-
 „sos sub pace, quæ cum Persis tracta-
 „batur, comprehendere, satis mani-
 „festum reddunt mandata, supremo
 „Belliduci, sub quibus Turcicæ istis in-
 „oris Copiæ militabant, desuper trans-
 „missa. Longissime tenor illorum di-
 „screpat a tenore litterarum, quas
 „partim ad pie defunctum Prædecesso-
 „rem Nostrum, serenissimum Eugenium
 „Sabaudia Principem, partim ad nos
 „Excellentia vestra exaravit. Nihil il-
 „læ amici cunctis, quot quot sunt vici-
 „nis Christianis Principibus portendunt
 „& diversam plane ab ea, quam opta-
 „bamus, conservatæ tamdiu quietis cau-
 „sam sistunt. Longe antequam iussa
 „hæc emanarent, restaurata jam erat
 „in Christiano Orbe pax, ut adeo non
 „aliis color elucescenti inde odio præ-
 „texti queat, quam qui causam omni-
 „bus eandem fidem profitentibus com-
 „munem reddit.

„Non fuimus tamen ideo absterriti,
 „quo minus post exortum jam bellum
 „eidem quantocyus terminando con-
 „sentiente Serenissima & Potentissima
 „Rus-

Sæc. XVIII. „Russorum Autocratice bona nostra ob
 A. C. 1737. „ficia pari candore & affectu impende
 „remus. Ea scilicet est fœderis quod
 „non nisi ad mutuam tutamen tendit
 „natura, ut antequam laceffito Fœde
 „rato succurratur, amica prius de pro
 „curanda eidem æqua satisfatione ac
 „conveniente securitate media tenten
 „tur. Et detectis licet iis, quæ supra
 „memoravimus, infensis consiliis præ
 „valuit tamen apud Augustissimum Ro
 „manorum Imperatorem cæteris omni
 „bus etiam evidentissimæ utilitatis con
 „siderationibus flagrans, quo nunquam
 „non tenetur, pacis desiderium: lucu
 „lentissimo documento, malle eundem
 „propriæ quoque securitatis causam
 „difficiliorem reddere, quam aliene
 „inhiasse videri. Transmissæ proinde
 „fuerunt Cæsareo, qui Constantinopoli
 „est, residenti novæ eademque tertie
 „Plenipotentiarum Tabulæ, utque
 „majus pondus impendendis ab ipso
 „tam salutari scopo officiis adderetur
 „Oratoris caractere fuit is condecora
 „tus; neque ignorat Excellentia vestra
 „nihil hucusque, quo ad exoptatum
 „qui præ oculis erat, finem curæ ejus
 „commissum opus quantocyus perduce
 „retur, intentatum relictum fuisse, id
 „que eo fervore, qui Russicæ Aulæ
 „pene suspectus videbatur. Unde an
 „fac

„sam illa sumpsit, tanto vehementius
 „instandi, ut frustra impensis per tot
 „menses restaurandæ publicæ tranquil-
 „litati bonis officiis periclitanti indies
 „magis magisque communi securitati
 „tandem aliquando ab Augustissimo
 „Romanorum Imperatore, qua Russiæ
 „Fœderato consulatur. Haud latet
 „Præfulgidam Portam plus una vice
 „clare ac dilucide expositum eidem fuis-
 „se, non posse non altessatum Imper-
 „atorem, ubi incassum cesserint jussu
 „ejus oblata utrique Belligerantium
 „bona officia, atque adeo ex assè adim-
 „pletis iis, quæ amicitix bonæque vi-
 „cinitatis ratio exposcebat, pari de-
 „mum fide Fœderati quoque munia ex-
 „plere. Æque sacrum est fœderis ac
 „amicitiæ, vinculum, & sicuti prima
 „merito cura eo collimare debet, quo
 „utrique satis fiat, ita si conciliari in-
 „ter se nequeant, id unice respicien-
 „dum est, quod juris & æquitatis ra-
 „tio postulat.

„Atque hæc fuit, est, & porro
 „erit norma, ad quam consilia & actio-
 „nes suas nunquam non dimetietur Au-
 „gustissimus Romanorum Imperator Do-
 „minus noster Clementissimus. Nun-
 „quam is primus ab amicitia cum Præ-
 „fulgida Porta recedet, sed neque un-
 „quam

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Sæc. XVIII. „quam a Serenissima & Potentissima
 A. C. 1737. „Russorum Autocratrice disjungi se pa-
 „tietur. Non tendit seu in Præfulgi-
 „dæ Portæ seu in ullius alterius ve-
 „minimum præjudicium arctissimum.
 „quod ipsi cum eadem intercedit se-
 „cus. Ast tendit in commune utrius-
 „que Contrahentium tutamen, ac per-
 „suasissimam esse cupimus Excellen-
 „tiam vestram, frustraneam omnino esse
 „se spem de infringendo, tam *julto* &
 „salutari unionis vinculo forsitan concep-
 „tam. Quo magis id intendi inpropa-
 „tulo est, ut Ottomannici Imperii tota
 „vis modo contra hunc, modo contra
 „alium vicinorum Christianorum Prin-
 „cipum verti queat, eo magis in com-
 „mune consulere necessitas efflagitat.
 „Nec vitio id a Præfulgida Porta verti
 „potest cum non ut damnum aliis infe-
 „ratur, sed ut a propriis Laribus pro-
 „pulsetur, hæc ipsa sollicitudo spectet

„Exposuimus hucusque præsentem
 „rerum statum tanto diffusius, quo pro-
 „ne cognita mali causa & origine eo fa-
 „cilius sit, congruentem eidem adhi-
 „bere medelam. Adest jam tempus
 „scopo tam desiderabili, tamque salu-
 „tari apprime aptum, hyems nempe
 „ubi non armis, sed pacis tantum in-
 „diis locus esse potest. Non est, ut
 „certo

„certo scimus, ab ea quantocius re- Sæc.XVIII.
 „stauranda Serenissima & Potentissima A.C. 1737.
 „Russorum Autocratrix aliena, dum-
 „modo ei de illatis injuriis satisfiat, &
 „contra easdem secuta in posterum
 „reddatur. Iniquum hoc Præfulgidæ
 „Portæ videri nequit, si perpendere
 „paululum secum velit, quid sit ipsa
 „desideratura, si in eo, in quo nunc
 „Russica Aula est, casu esset.

„Supponamus enim tantisper, per
 „complures retro annos Ditiones, quæ
 „Turcico Imperio indubie subsunt, a
 „Cosaccis, Calmuccis, ac simili ho-
 „minum colluvie sæpissime invasas, ab-
 „ducta inde complura captivorum mil-
 „lia, incensos & direptos magno nume-
 „ro pagos, urbesque, integras de-
 „num provincias ad excidium usque
 „devastatas. Supponamus repetitas
 „desuper quotannis ex parte Turcarum
 „querelas omni fructu caruisse & præ-
 „miis non pœnis a Russorum Autocra-
 „trice affectos tot calamitatum autho-
 „res. Supponamus porro ingentem in-
 „domitæ ejusmodi gentis exercitum
 „illo ipso Duce, unde tot mala pro-
 „manarunt, sub solennibus Russorum
 „Autocratricis auspiciis, frustra recla-
 „mante Præfulgida Porta, vi in hujus
 „Ditiones non absque maximo earum
 „His. Eccles. Tom. LXXV. E e dam-

Sæc. XVIII. „damno penetrasse. Et supponamus
A. C. 1737. „denique non saltem constanter recusa
 „ta firmandæ pacis, sub qua Turca
 „comprehensi forent, media, sed
 „manifestissima edita a Russis indicia
 „fuisse alienæ prorsus a conservandæ
 „cum vicinis quiete mentis. Num si
 „res inverso ordine ita sese haberent,
 „æquum justumque haud censeret Ex-
 „cellentia vestra, tum ut Præfulgidæ
 „Portæ de illatis damnis satisfiat, tum
 „ut contra futura infensa molimina se-
 „cura reddatur. Ast quod quis sibi
 „vult fieri, aliis denegare nequit, &
 „non nisi æqua lance cuncta ponderare
 „assuetus Augustissimus Romanorum
 „Imperator ipsemet ita comparata Præ-
 „fulgidæ Portæ desideria calculo suo
 „corroborare nequaquam recusaret:
 „unde colligere in proclivi est, num
 „ipsi qua Russiæ Fœderato integram
 „demum futurum sit, eadem totis vi-
 „ribus haud suffulcire?

„Penes Præfulgidam Portam unice
 „stat, ne eo devenire necessum sit
 „Summis & sinceris votis id exopta-
 „mus, non alia de causa, quam ut
 „citor sit malorum, quæ bellum comi-
 „tari solent, finis. Quo ergo frustra
 „hucusque restaurandæ publicæ quieti
 „impensis amicis officiis non minus
 „quæ

„quæ fidum Fœderatum, quam quæ Sæc. XVIII.
 „amicum bonumque vicinum decent, A. C. 1737.
 „ex asse impleat Augustissimus Roma-
 „norum Imperator, non jam amplius
 „ut Conciliatorem, sed qua Ruffiæ Fœ-
 „deratum & compaciscentem conclu-
 „dendi hac hyeme, uti speratur, Pa-
 „cis Tractatus, Præfulgidæ Portæ se-
 „se sistit, ea disertim adjecta declara-
 „tione, nullam hæctenus sua ex parte
 „finium propagationem, sed non nisi
 „prorogationem Pactorum Conventio-
 „rum, & quæ alias firmandæ mutuæ
 „inter utrumque Imperium amicitiae in-
 „servire poterunt, expeti. Quod ip-
 „sum Præfulgidæ quoque Portæ gra-
 „tum fore eo magis confidimus, quod
 „in Literis ad Prædecessorem Nostrium
 „exaratis sapienter more suo moneat
 „Excellentia Vestra, veræ amicitiae
 „convenire, ut antequam ad finem
 „vergat præfixum pacis tempus, de
 „ejusdem prorogatione cogitetur. Fa-
 „cillimum ita erit ulteriora & diriora
 „belli mala præcavere, & exoptatissi-
 „mi fructus, quos ex restaurata pace
 „firmataque omni ex parte publica
 „quiete tot populi sentient, in peren-
 „nem una Excellentiae Vestræ nominis
 „famam gloriamque redundabunt. Et
 „quod superest &c.

E e 2

At-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Attamen in his Præsidis Cæsarei
 teris Vezirius cavillabatur, illas in
 tres articulos, & quidem, 1. Rufforum
 querelas, 2. Cæsaris postulata 3. paci
 Cæsarem inter & Sultanum hac adhuc
 hyeme innovandæ studium, esse partem
 tas, cum tamen postremus inter pri-
 mos fuisset reponendus: Hinc Vezirius
 primo ad ultimum hunc articulum re-
 spondens declarabat, Sultanum haud
 segnius desiderare, pristinam cum Cæ-
 sare concordiam propagari, ad secun-
 dum, Ruffos inopina vi Ottomanicas
 conditiones invasisse, proin eos sedens
 pacta prius violasse, denique ad ter-
 tium, se Præsidis sensa sententiam &
 consilium de præstanda satisfactione &
 reddenda amicitia expetere.

§. III.

*Cæsarei Præsidis responsum ad Ve-
 zirii cavillationes.*

Accepto hoc Vezirii responso Königs-
 eckius Præses probe prospexerat
 vix non omnem firmæ pacis spem ve-
 gis amplisque ejusmodi verbis claud
 nihi'ominus ne Cæsar concordiz ob-
 futisse argueretur, hæc Vezirio die vi-
 gesima octava Februarii hoc anno Vien-
 na rescripsit.

„Res

„Redditæ nobis haud ita pridem Sæc. XVIII.
 „fuerunt Excellentæ vestræ Litteræ A.C. 1737.
 „comptissimis verbis refertæ, & respon-
 „sorix ad eas, quas quinta Decembris
 „elapsi anni ad eandem exaravimus.
 „Gravius negotii summumque quod in
 „temporis angustia consistit, momen-
 „tum ejus apud nos ponderis fuerunt,
 „ut tanto luculentius comprobando eni-
 „xo, quo porro tenemur, Pacis tum
 „restaurandæ, tum conservandæ desi-
 „derio, quam minimum fieri poterat,
 „differendum censuerimus, animi no-
 „stri sensus clare & candide Excellen-
 „tiæ vestræ desuper expromere.

„Quæ de pacifica Præfulgidæ Por-
 „tæ mente tam operose eadem testa-
 „tur, non poterant non nobis pergra-
 „ta esse. Neque minus perstat in ea,
 „quam nuper perscripsimus, sententia
 „Augustissimus Romanorum Imperator
 „Dominus Noster Clementissimus, in-
 „dubio argumento, penes Præfulgi-
 „dam Portam unice adhucdum stare,
 „ulteriora ac diriora Belli mala, prou-
 „ti id sinceris votis exoptamus, præ-
 „cavere. Nec est, cur sit eadem de
 „honore & dignitate sua sollicita, cum
 „ab æquis rerum Censoribus nunquam
 „inglorium habitum fuerit, incertis Bel-
 „lorum eventibus tot populorum, qui
 E e 3 „non

Sæc. XVIII. „non nisi quietem anhelant, prosperam
A. C. 1737. „tatem antepone, nec honori huius
 „& dignitati quidquam ulla in re de
 „tractum velimus. De mediis ergo
 „unice disquirendum est, qua brevior
 „via attingi queat desideratissimus scopus,
 „firmandæ omni ex parte tranquillitatis,
 „haud facile impolterum labefactandæ. Longe procliviora es-
 „dem forent, si citius Augustissimi Romanorum
 „Imperatoris pro restauranda cum Russis Pace,
 „suasibus & hortationibus toties sincero affectu repetitis,
 „propensæ præbitæ fuissent aures. Sed non uti
 „jam erga nos, ita & olim tum Excellentia vestra
 „tum cæteri Præfulgidæ Portæ Ministri erga Cæsareum
 „Oratorem mentem suam desuper explicuerunt.

„Equidem præteritæ res nec revocari, nec immutari queunt,
 „nec ideo eas commemoramus, ut difficilius reddatur
 „cura de futuris. Meminisse tamen earundem vel
 „ideo par est, ne ad eosdem scopulos rursus impingatur.
 „Unde sponte sua fluit, in tanto majori pretio habendum
 „esse exiguum quod superest, temporis spatium.
 „Quod ut rite & utiliter fiat, e re erit Ministros ad tractandum,
 „& perficiendum salutare Pacis opus, plena, ut decet,
 „facultate munitos ad limites

„qui Ditiones Partium Bello jam im- Sæc. XVIII.
 „plicitarum separant, nulla mora inter- A. C. 1737.
 „posita mittere. Neque enim, quæ
 „prorogationem pactorum conventorum
 „concernunt, aut alias non nisi eo ten-
 „dunt, quo amicitia, bonaque vici-
 „nitas inter utrumque Imperium indies
 „magis magisque firmetur, a restau-
 „randa cum Ruffis pace disjungi ulla-
 „tenus possunt. Indissolubili Fœdera-
 „tis suis vinculo junctus est Augustif-
 „simus Romanorum Imperator non mi-
 „nus in iis, quæ Pacem, quam quæ
 „Bellum respiciunt, ac disertim nuper
 „Excellentiæ vestræ exposuimus, eun-
 „dem non jam amplius ut Conciliato-
 „rem, sed qua Ruffiæ Fæderatum, ut
 „compaciscentem concludendi hac hye-
 „me, ut speratur, Pacis tractatus,
 „Præfulgidæ Portæ sese sistere. Non
 „tamen ideo asserendæ quantocius pub-
 „licæ quieti vel minima sua ex parte
 „iniicietur mora. Denominati jam
 „sunt, & non modo plena facultate
 „muniti, sed & convenientibus man-
 „datis instructi Ministri, quibus is tan-
 „ti momenti spartam concedere digna-
 „tus est. Et de propensissimo Russo-
 „rum Autocratricis in pacem studio,
 „dummodo ea, quam innuimus, via sine
 „mora ineatur, tam exquisitis verbis
 „denuo redditi fuimus certiores, ut
 E e 4 „hoc

Sæc. XVIII. „hoc unum conceptæ de complementis
A. C. 1737. „saluberrimi operis spei, votisque no-
 „stris deesse videatur, convenire quam
 „celerrime posse Ministros, eidem per-
 „tractando, perficiendoque destinatos.
 „Augebit hac maxime ratione merita,
 „quibus jam multis magnisque apud
 „Ottomanum Imperium Excellentia
 „vestra valet. Et quod superest &c.

§. IV.

*Altera Vezirii epistola ad eundem
 Præsidentem.*

Priusquam Vezirius Cæsarei Præsidis
 literas perlegerat, cum Barone de
 Dahlmann Oratore Babadugiensibus in
 castris de præcipuo pacis fundamento
 egit, proposuitque Ottomanicæ Por-
 tæ honori aliqua saltem ex parte satis-
 faciendum esse, Russici autem Imperii
 existimationi ac decori sat consultum
 fore, si Sultanus damna a Russis tam
 in Crimea, quam in Præcopiensi &
 Kilburunensi propugnaculis illata repe-
 rari haud urgeret, locum vero con-
 gressus fore Sorocam urbem: præce-
 mis vero Tanaidem esse restituendam,
 sic & non aliter pacem esse sperandam
 &c. Hæc ita cum Oratore agitata re-
 scripsit Vezirius ad Præsidentem, qui tæ-
 men

men eidem die vigesima Martij hæc in Sæc. XVIII.
 responsis dedit. „Non sine magno ani- A. C. 1737.
 „mi mœrore tum ex ultimis Excellen-
 „tiæ vestræ literis, tum ex subsequen-
 „tibus Cæsarei Oratoris, qui apud Præ-
 „fulgidam Portam residet, relationibus
 „intelleximus, persistere eandem in
 „propolito, Ministros ad tractandum
 „& perficiendum salutare pacis opus,
 „plena uti decet facultate instructos,
 „ad limites, qui ditiones partium bello
 „jam implicitarum separant, haud
 „prius mittendi, quam fuerit de Affo-
 „viæ restitutione secura.

„Equidem pro innata prudentia sua
 „facile dijudicabit Excellentia vestra,
 „sperari haud posse, Serenissimam & Po-
 „tentissimam Rufforum Autocratricem
 „in tam inusitatam præviam pacis le-
 „gem consensuram, nec integrum proinde
 „Augustissimo Romanorum Imperatori
 „esse, sua ex parte eidem præbere ma-
 „nus. Per complura lustra in Ruffo-
 „rum manibus erat Affovia, absque
 „eo, quod Ottomanni Imperii securi-
 „tati, quieti, dignitati, aut splendo-
 „ri quidquam inde decesserit. Vicif-
 „sim quæ fatente Præfulgida Porta in
 „ditiones Augustissimi Romanorum Im-
 „peratoris fœderati subditas, nimium
 „crebro factæ sunt hostiles irruptiones,
 E e 5 „cum

Sæc. XVIII. „cum tanta harum ditionum strage
 A. C. 1737. „incolarumque immani cæde vel dum
 „captivitate conjunctæ, ab Assoviensium
 „præsidio partim promotæ, partim sub
 „fultæ fuerunt. Unde sponte sua fluxit
 „non subsistere, quam præfatæ restitu-
 „tioni ab Excellentia vestra obtinendæ
 „vult, causam. Interea frustra labi-
 „tur tempus, ubi non armis, sed paci-
 „tantum studiis, locus esse potest, non
 „nostra sane culpa, quippe qui nihil
 „quidquam, quod in viribus nostris
 „erat, intentatum reliquimus, quo
 „enixis & sinceris votis nostris faustior
 „rerum eventus responderet. Ac faci-
 „le prævidere est, difficiliorem longe
 „post hæc evasuram esse curam, red-
 „cendæ publicæ quieti impendendam.
 „Quidquid a bono vicino pacisque fru-
 „diosissimo amico desiderari ullatenus
 „poterat, id ab Augustissimo Romano-
 „rum Imperatore pari candore & affe-
 „ctu expletum hæctenus fuit.

„Nunquam non is ad juris & iusti-
 „tiæ normam consilia & actiones suas
 „unice dimetietur. Recederet autem
 „ab hac, quam modo innuimus, nomi-
 „na, nisi eadem intemerata fide & con-
 „stantia Fœderati quoque munia ex affe-
 „adimpleret.

„Qua

„Qua via , quibusve mediis attingi
 „adhuc queat desideratissimus scopus, Sæc. XVIII.
 „ne eo devenire necessum sit , ante ali- A. C. 1737.
 „quot septimanas Excellentiæ vestræ
 „tam genuine exposuimus, ut nil aliud
 „jam nobis supersit , quam denuo ean-
 „dem certiolem reddere , Augustissimo
 „Romanorum Imperatori acceptissimum
 „fore nuncium , quo quantocius edo-
 „cebitur , quod pacifici sui suusus &
 „hortatus apud Præfulgidam Portam
 „locum penitus invenerint. Quem
 „proinde pro nostro in publicam tran-
 „quillitatem sincero studio impatientes
 „præstolamur“.

§. V.

Controversia de pacis conditionibus.

In eo tum statu erat hæc pacis nego-
 tiatio, cum Orator nomine Cæsaris
 Vezirio fidem faceret, in proximo Con-
 ventu nil in præjudicium, aut contra
 honorem & famam Ottomanicæ Portæ
 decretum iri; facta hac pollicitatione
 Vezirius Königseckio Comiti significa-
 vit, se suis Ministris plena agendi fa-
 cultate instructis præcepisse, ut unacum
 Dahlmanno Oratore Sorocam media
 Aprillis contenderent; Interim Baba-
 dugæ præfatus Orator cum Vezirio
 præ-

Sæc. XVIII. prævie de hoc negotio egit, propoluit
A. C. 1737. que, præprimis armorum inducias esse
 utrinque sanciendas, nec Babadugam
 nec Sorocæ, utpote locis pestifero ac
 expositis, & admodum incommodis
 congressum esse celebrandum, Tana-
 ridem Russis esse cedendam, eisque
 liberam in Ponto Euxino negotiationem
 permittendam, ac denique belli expen-
 sas, & damna per Tartaros illata præ-
 primis refarcienda esse. Attamen Ve-
 zirijs æquissimas has condiciones ac-
 ceptare respuit, declarans, de indu-
 cijs nullum sibi mandatum a Subano
 datum, ab eodem Babadugam utpote
 Turcico Imperio subjectam in locum
 congressus fuisse denominatam, Tana-
 ridem Turcis omnino reddendam, ex-
 que reddita, belli expensas Russis esse
 refundendas, quamvis Russis damna
 illata abunde per factam in Tartaria præ-
 dam fuissent reparata, aliudque pro-
 pugnaculum eis cedendum, liberam
 quoque certis tamen conditionibus re-
 strictam, navigationem esse indulgen-
 dam, captos tamen utrinque libere esse
 se dimittendos. Nil amplius hac in re
 a Turcis impetrari poterat; nisi ut con-
 gressum primo Kudachi, & demum
 Nimrowiæ haberi consentirent. Et
 hac ipsa autem eorum pertinacia sat lo-
 culenter patuit, omnem conciliandam
 paci

pacis spem evanuisse, bellumque, in- Sæc. XVIII.
stigmatibus Bonnevalio & Ibrahimio A. C. 1737.
perfidis fidei Christianæ desertoribus,
contra Cæsarem & Russiæ Imperatri-
cem ab Ottomanno belli Senatu jam-
jam fuisse conclusum: Quapropter Ca-
rolus Cæsar haud ultra cunctandum
ratus, per Königseckium Vezirio pa-
lam declarabat, se ex foederis lege ob-
strictum, ut auxiliatrices copias Russis
submitteret: Has igitur literas Kö-
nigseckius Cæsaris jussu ad Vezirium
dedit.

„Quanto in pacem tum conservan-
dam, tum restaurandam studio fera-
tur Augustissimus Romanorum Impe-
rator, Trinis ad Excellentiam ve-
stram exaratis literis plus quam ab-
unde comprobavimus, penes Præ-
fulgidam Portam unice stetit, quo hoc
ipsum pacis studium exoptato fructu
haud careret. Per complures, qui
bellum præcesserunt, annos eidem
præcavendo nihil non hac ex parte ac-
tum est, pari fide, candore, & affe-
ctu. Non minor exin opera sopiendis
turbis impensa, nec excogitari facile
potest medium conciliandis partium
belligerantium animis aptum, quo
non omni possibili contentione usi fue-
rimus, nihil quidquam pro attingen-
do tam salutari scopo tum apud Sere-
nissimam

Sæc. XVIII. „nissimam & Potentissimam Russorum
 A. C. 1737. „Autocraticam, tum apud Præfulgi-
 „dam Portam, tum apud alios que
 „que publicæ quietis studiosos Princi-
 „pes intentatum relinquentes. Plebe
 „que Cæsarei in exteris aulis Ministi-
 „longe fuerunt in re ista, quam in pro-
 „priis Augustissimi Domini sui commo-
 „dis curandis occupatiores, & pacifi-
 „corum suorum Nostrorum, hortu-
 „tuum ac consiliorum ipsammet Præ-
 „fulgidam Portam testem citare nulli
 „dubitamus.

„Quemadmodum vero una ex parte
 „optima fide explevimus, quæ a bono
 „vicino pacisque studiosissimo Principe
 „desiderari quocumque demum modo
 „poterant; ita non minus fuimus de
 „explendis fidi Fœderati muniis solli-
 „citi. Antequam tam in iis, quæ bel-
 „lum, quam quæ pacem concernunt,
 „Præfulgidæ Portæ, qua Russiæ So-
 „cium se se sisteret Augustissimus Ro-
 „manorum Imperator, consentiente
 „Serenissima & Potentissima Russorum
 „Autocratrice bona sua officia termi-
 „nandis belli malis per complures men-
 „ses impendit. Sed non ea, quæ pacem
 „erat, a Præfulgida Porta habita fuit
 „officiorum horum ratio, spretis cunctis
 „tis quotquot tum proponebantur, re-
 „ducendæ pacis mediis. Perquam illi
 „nobis

„nobis fuit molestum , non tamen ideo Sæc.XVIII.
 „spem faustioris successus deposuimus. A. C. 1737.
 „Quo majus adderetur amicis officiis
 „nostris pondus ad arma nos accinxi-
 „mus , pro solito candore nostro , qua
 „mente id fieret , Excellentiam vestram
 „haud celantes. Jam tunc repeti jure
 „a Præfulgida Porta potuissent sump-
 „tus , ipsius culpa bellicis apparatus
 „a nobis impendendi.

„Sed prævaluerunt apud Augustif-
 „simum Romanorum Imperatorem mag-
 „nanimi , quibus imbutus est , sensus,
 „enixumque accelerandæ publicæ tran-
 „quillitatis desiderium. Primis ergo ad
 „Excellentiam vestram exaratis literis
 „jussu ejusdem declaravimus , nullam
hactenus a se finium propagationem , sed
non nisi prorogationem pactorum conven-
torum & quæ alias firmandæ mutue inter
utrumque Imperium amicitie inservire po-
tuerunt , expeti.

„Sicuti vero unicuique rei certi con-
 „stituti debent esse fines , & termini ,
 „meritoque una providendum erat , ne
 „tam magnanimi sensus , ad maturan-
 „dum pacis opus unice tendentes , in
 „ejusdem remoram vergerent ; ita dis-
 „sertim iisdem literis nostris modo me-
 „morata declaratio elapsa jam dudum
 „hyeme fuit circumscripta , ac plus
 „una

Sæc. XVIII. „una vice testatus est Cæsareus apud
 A. C. 1737. „Præfulgidam Portam Orator, diffi-
 „ciliorem longe evasuram publicæ tran-
 „quillitatis curam, si quid sub elap-
 „sionis Maij initium ejus complemen-
 „to adhuc desit. Parum tamen moni-
 „tis hisce nostris profecimus, moras
 „nectente Præfulgida Porta, atque et-
 „potius allaborante, ut fidos Fœderis
 „tos sparsis suspicionum seminibus inter
 „se disjungeret. Super loco Congregati-
 „onis mora fuit insolita, atque idcirco in-
 „expectata difficultas, & quo ad limi-
 „tes, qui ditiones partium bello jam
 „implicitarum separant, Ministros ple-
 „na facultate instructos ablegaret præ-
 „fulgida Porta, complurium mensium
 „labor erat impendendus. Injuncta deinde
 „fuit de prævia pacis conditione men-
 „tio, tam inusitata, tamque iniqua,
 „ut non luculentius dari potuisset alie-
 „næ a pace mentis documentum: se-
 „cuti præcedentibus literis nostris satis
 „superque demonstravimus. Equidem
 „dum in istis difficultatibus superantibus
 „diu frustra desudabatur, multo ve-
 „borum apparatu pronum in quietem
 „animum nunquam non testata est
 „Excellentia vestra. Sed verbis factis
 „haud respondebant. Et sicuti a tenore
 „re literarum, quas ad nos subinde
 „exaravit, multum discrepabant epistolæ
 „italæ

„stolæ, eodem fere tempore a Molda-
 „viæ Principe ad Russum Ministrum
 „scriptæ; ita quam sit Præfulgida
 „Porta a maturanda sincera pace alie-
 „na, satis superque porro prodit re-
 „sponsum ab Excellentia vestra ad ter-
 „tias literas nostras datum, utpote li-
 „terarum harum tenori nequaquam
 „congruum. Quo minus itaque nos
 „latebat, quid occultis istis artibus
 „quæreretur, tanto immaniores sump-
 „tus bellicis apparatus porro erant
 „impendendi, & tanto vehementius
 „posthæc institit Serenissima ac Poten-
 „tissima Russorum Autocratrix, ut du-
 „dum elapsa hyeme frustra haud elabi-
 „sinamus tempus asserendæ promoven-
 „dæque armis stabili undequaque paci-
 „aptum. Non ergo integrum amplius
 „est Augustissimo Romanorum Impera-
 „tori differre diutius auxilia, a con-
 „stante Fœderato tam impense efflagi-
 „tata. Præfulgidæ Portæ culpa in
 „belli partem venire habet necesse. Ast
 „sicuti invitus arma arripit, ita non
 „ideo pacis studium curamque deponit.
 „Inter media arma de eadem requie
 „conditionibus quantocius reducenda,
 „ac securius in posterum firmanda ipse
 „æque ac serenissima & potentissima
 „Russorum Autocratrix tractare parati
 „sunt. Sicuti proinde facillimum ante
 „hac

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Sæc. XVIII. „hac fuisset Præfulgidæ Portæ præ
A. C. 1737. „vere, ne dilataretur belli flamma
 „cui extinguidæ tam assiduus enixus
 „que ultra annum infumtus fuit labor
 „ita penes eandem etiamnum stat,
 „breui finis ponatur calamitatibus, quæ
 „nunquam non cum subditorum popu-
 „lorum ac ditionum damno bellum pat
 „se trahere solet. De quibus omnibus
 „Excellentiam vestram certiozem re
 „dere officii nostri duximus.

§. VI.

Causæ hujus Belli a Cæsare in Comitiis expositæ.

Facta hac declaratione Carolus VI
 Imperator die vigesima sexta Julii
 per Principalem suum commissarium
 Josephum Principem Fürstenbergium
 Ratisbonæ in comitiis hujus belli coe
 tra Turcas movendi causas exposuit,
 scilicet Russiam esse partem lætam
 crebrisque Turcarum eruptionibus
 gravissime laceffitam : omnem Cæsaris
 conatum animos conciliandi fuisse huic
 usque frustraneum, Turcam nec de
 præteritis damnis satisfactionem, nec
 de futuris securitatem voluisse præsta
 re, sed jam ab aliquot annis in id unum
 incubuisse, ut foedus Cæsarem inter
 Rus

Russiam anno hujus sæculi vigesimo Sæc. XVIII.
 sexto percussum, malis artibus dissol- A. C. 1737.
 veret: sique unitæ hæ vires, bellum-
 que Persicum non inhibuissent, Sulta-
 nus jam anno millesimo septingentesi-
 mo trigesimo quarto Passaravicensem
 pacem publicis hostilitatibus violasset.
 Turcarum Ministros pacis desiderium
 verbis ostentasse, factis tamen & ex-
 presso eorum mandato Tartaros in Rus-
 siæ Regiones irrupisse, pacis consilia
 a Cæsareo Oratore proposita arrogan-
 ter fuisse rejecta: Niemeroensem con-
 gressum insolentius petita Tanaidis re-
 stitutione, aliisque conditionibus ni-
 mium duris a Vezirio propositis, esse
 frustratum: Imperatricem ergo Russo-
 rum foederis fidem exigere, auxilia au-
 tem Cæsarea, cum non possint in
 Russiam transportari, alibi ergo ad di-
 vertendum potentissimum Christiani no-
 minis hostem, ne totum belli pondus
 Moscovitis foederatis incumberet, ar-
 ma esse convertenda: Cum igitur con-
 tra juratum hunc hostem Regiones &
 præsertim Hungaria, quæ pro muro
 sunt Romano Imperio, essent defenden-
 dæ, confidere Cæsarem, Imperii Ordini
 pro suo Divini honoris Zelo, &
 amore Christianitatis ad hoc bellum
 prospero Marte gerendum liberali manu
 esse concursuros.

Sæc. XVIII.

A.C. 1737.

Diu in comitiis de suppetiis hoc bellum erogandis deliberatum tandem vero sub finem hujus anni quinquaginta Menses Romani fuerunt promissi, diu tamen reluctantibus Protestantibus, eoquod hi responsa sibi nuper a Cæsare in causa clausis Rysvicensis datum ægro adhuc animi recoquerent.

Re ad hanc decisionem perducta, Carolus Imperator octoginta millium exercitum in Hungariam conduxit, atque in omnibus hæreditariis suis Provinciis recentem militem conscripit: cumque nuperi belli Turcici experientia didicisset, navium subsidio ingentia Turcis damna fuisse illata, eapropter præter triremes, & minora navigia insuper Albæ Græcæ plures majoris molis naves construi, indeque Orloviam abduci jussit, quatuor vero alia navigia Viennæ constructa, ibidem Sigismundus Comes de Kollonits Cardinalis & Archiepiscopus Viennensis solemniter sacravit: Postea Imperator exercitum suum in Hungaria in quatuor partiebatur agmina, quorum primo Zemlini Fridericus Henricus Comes de Seckendorff Religione Lutherana, alteri, quod Vipalanckæ castra, metabatur, præfuit Baro de Schmet-

Schmettau, tertium vero in Transyl-
 vania Franciscus Comes de Wallis
 duxit, & quartum denique Gratskæ
 ad omnes belli casus reservatum erat.

Stec. XVIII.
 A. C. 1737.

§. VII.

*Clementis Pontificis literæ hortatoriæ
 ad omnes Principes Catholicos.*

Cum autem Imperator ferendis pene
 immensis belli sumptibus solus im-
 par esset, summo Pontifici supplicabat,
 ut a ditionis suæ Clero decimas exigere
 posset: Tam æquæ petitioni Clemens
 Papa lubentissime annuit, & non mo-
 do indulgit, ut Imperator in suis hæ-
 reditariis Provinciis ab universo Clero
 pro reparandis Hungariæ propugnacu-
 lis ad quinquennium quotannis decies
 centena florenorum millia exigere va-
 leret, sed etiam durante bello decimas
 colligi concessit. Insuper ipsemet Elec-
 tores Coloniensem, Trevirenssem, Mo-
 guntinum, Palatinum & Bavarum,
 necnon Kollonitsium, Sinzendorffium,
 Schrattenbachium, & Schönbornium
 Cardinales, & Pragenssem, Brixien-
 sem, Eystattenssem, Tridentinum,
 Passavienssem, Neostadienssem, & Au-
 gustanum Archiepiscopos atque Episco-
 pos præter Abbates Fuldenssem & Cam-

F f 3 pido-

Sæc. XVIII. pidonensem ad eroganda subsidia hot-
 A. C. 1737. tabatur secunda Septembris die datus
 ad eos hisce literis.

„Etsi periculosissimum bellum ad
 „versus infensissimum Christiani Nomi-
 „nis hostem felicibus auspiciis secu-
 „disque per immensam divinæ Bonitatis
 „Clementiam præliis a Charissimo in
 „Christo Filio Nostro Carolo Hispani-
 „rum Catholico, necnon Hungariæ in
 „Romanorum Imperatorem electo ini-
 „tum esse cumulatissime gratulantes
 „fore confidimus, ut majoribus incre-
 „mentis, continuisque Victoriis, ac
 „Triumphis. Deo duce & auspice, ab-
 „solvatur; scientes tamen, quod in-
 „certi sint armorum exitus, postquam
 „privatis publicisque indictis precibus
 „Dominum Exercituum, qui bella
 „conterit, pro fausto prosperoque even-
 „tu supplices exoravimus, præcipuas
 „Apostolici muneris nostri partes esse
 „ducimus, nihil intentatum relinque-
 „re, quod ad tantum bellum cum Cæ-
 „sareæ Potentiæ felicitate conficien-
 „dum conducere possit. Enim vero
 „quæ Catholicæ Religioni, Christi fi-
 „delibus partæque per invictam Ger-
 „manorum virtutem tranquillitati, ac
 „gloriæ siquid (quod omne procul Deus
 „avertere dignetur, sed quæ accide-

„runt, & accidere possunt?) fortasse haud Sæc. XVIII.
 „faustum eveniret, discrimina impen- A. C. 1737.
 „derent, non est quod pluribus expli-
 „cemus Fraternitati tuæ, cui æque ac
 „nobis certe manifestiora apparent. Ita-
 „que Fraternitatem tuam, ut quibus
 „potes (potes autem hanc in rem ma-
 „ximis viribus) Cæsareæ Majestati
 „opem, auxilium subsidiumque confer-
 „re, aliosque Germaniæ Antistites &
 „Principes pro tua auctoritate verbis
 „excitare, exemplo præire satagas, ve-
 „hementer hortamur & poscimus. Ve-
 „rum hæc Apostolicæ Cohortationis
 „officia, quæ ad fraternitatem tuam
 „libenter deferimus, non eo tendunt,
 „ut tibi ad dignum pietate, Zeloque
 „tuo, ac debitum orthodoxæ Religio-
 „nis opus alacri, pomptoque animo
 „aggrediendum propenso, gestientique
 „stimulos admoveamus, sed ut & nos
 „injuncto nobis Ministerio satisfaciamus,
 „& Fraternitas tua Pontificis
 „Votis nostris obsecundans, facilesque
 „Apostolicis vocibus aures præbens,
 „majorem sibi apud Pastorum Princi-
 „pem meritorum cumulum comparet,
 „nostram voluntatem, atque hujus
 „sanctæ sedis Benevolentiam magis
 „magisque obstringat, & in Victoriæ
 „quam a Misericordiarum Patre nobis
 „pol-

Sæc. XVIII. „pollicemur, laudisque partem advoce
A. C. 1737. „tur“.

„Interea ad voti successus auspiciam
„Fraternitati tuæ Apostolicam Bene-
„dictionem peramanter impertimur“

§. VIII.

*Summi Pontificis sollicitudo in pro-
curandis belli suppetiis.*

Ceterum hoc bellum contra Turcas
consilio, si tamen res ex eventu sit
metienda, non optimo gestum est, imo
neque necessarium, nec sat opportune
susceptum fuisse, videbatur non pro-
cis; (*) quocirca præter Cæsarem nul-
lus alius est inventus, qui se se huius
expeditioni immiscere vellet. Equi-
dem Carolus Imperator, qui sibi mag-
num in Clemente Papa præsidium po-
nebat, eumque ad ferendas suppetias
adeo pronum experiebatur, denuo eum

(*) Goebelius Helmstadiensis Ictus iusti-
tiam hujus belli propugnabat edito hoc libello:
*Iustitia Cæsareorum armorum contra Turca-
rum Sultanum a malevolorum criminationibus
vindicata.* Hunc in finem alius etiam prædixit
libellus sub titulo: *Recherche des causes de la
présente guerre &c.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

dem impense rogabat, ut sacrum fœ-
 dus seu, ut vocant, *sacram Ligam* cun-
 ctis Catholicis Principibus indiceret,
 ad eum ferme modum, quo olim au-
 thoritate Innocentii XI. anno Christi
 supra millesimum sexcentesimo octoge-
 simo secundo, cum Turcæ atrocissimo
 bello Cæsarem premerent, Imperator
 Leopoldus cum Poloniæ Rege & Ve-
 netorum Republica juramento se ob-
 strinxere, sibi invicem auxilium ferendi,
 quibus maximis possent viribus, quo-
 tiescunque quis eorum ab Infidelibus
 impeteretur: Verum Pontifex, cum
 intelligeret Cæsarem ad arma a Turcis
 non fuisse provocatum, sed sponte bel-
 lum in Moscorum favorem suscepisse,
 Carolo Imperatori rescripsit, vehemen-
 ter se dolere, quod in hac rerum vicif-
 situdine ejus postulato morem gerere
 haud posset, de cetero autem pro suo
 singulari, quo Cæsaream suam Maje-
 statem prosequeretur affectu, & pro
 suo ardentissimo promovendæ Religio-
 nis studio se ad omnia officia paratissi-
 mum esse: Nec amplis hisce promissis
 operis constantia defuit, quippe Pon-
 tifex ipse literas ad Poloniæ Regem,
 & Venetorum Rempublicam misit, ac
 omni rationum verborumque pondere
 eis persuadere nisus est, ut & ipsi sua
 etiam arma Cæsareis jungerent, cum

F f 5

ipso-

Sæc XVIII. ipforum quoque maximopere interesset
 A. C. 1737 communem Christianæ Reipublicæ ho-
 stem opprimi. Insuper, ut Deus exer-
 cituum Cæsareis armis Divina ope præ-
 sto esset. Jubilæum, aliasque publicas
 supplicationes indixit; cumque ei nun-
 tiatum esset, magnum Christianorum
 militum in Hungaria numerum esse,
 qui gravibus afflictati morbis insuper
 rerum pene omnium penuria premeren-
 tur, his ut aliquatenus succureret, de
 privato suo peculo duodecim mille au-
 reos submitit. Hoc exemplo animati
 Cardinalium potissimi, nonnulli etiam
 Episcopi, Ordinumque Magistri in ean-
 dem quoque causam tam copiose pecu-
 nias collegere, ut quadraginta aureo-
 rum millium summa conflaretur in mi-
 seriarum levamen expensa. Denique
 Pontifex ingentem pecuniarum vim ex-
 trahendam ex arce S. Angeli, ubi ad
 quinquies centena aureorum millia pro
 publicis Christianæ Reipublicæ neces-
 sitatibus asservabantur, Cæsari gratio-
 se obtulit, hac tamen lege, ut Parmam
 & Placentiam sedi Apostolicæ restitui
 curaret: Ast hæc conditio a sancti-
 re Cæsaris Senatu rejecta est.

§. IX.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.*Infaustus Turcici hujus belli successus.*

Attamen tam operosis molitionibus, tamque copioso armorum apparatu minime respondit belli successus, cujus causa potissimum refundebatur in Fridericum Henricum Comitem de Seckendorff Lutheranae sectae hominem, supremum Cæsarei exercitus Præfectum, qui copias suas contra ac tot victoriis celebratissimus Princeps Eugenius facere consueverat in multa, ut memoravimus, agmina divisit, velut multas simul vulpes capturus. Illuxerat dies duodecima Julii, qua hostilitati datum est initium a Barone de Mollican supremo vigiliarum Præfecto, qui a Belgrado aliisque vicinis propugnaculis copias contraxit, & vallo Lenizensi prope Berniavarum conscenso, quadraginta septem Turcas interfecit, duobus vexillis ac centum armentis in prædam cessis: Primo hoc successu animati Belliduces, die decima quarta Julii cum exercitu robore in Turcicas ditiones irrumpunt, & quidem inclutus Baro de Miglio in Servia, trajecta Morava Palanckam & Rasnam Urbes deditione cepit, præfidiariis ad victoris

Sæc. XVIII
A. C. 1737.

ris clementiam confugere compulsi. Postea Josephus Fridericus Saxo-Hilburghusius Princeps superato Sario flumine prope Gradiscam, & Franciscus Paulus de Wallis Transylvanice Gubernator in Valachiam sese effudit, vicinaque oppida transeundo occupavit: denique Moldavam infestandi negotium datum est Ascanio Marchioni Guadagni, qui Clementis XII. Pape Nepos, & ejusdem nominis ex Ordine Carmelitarum Excalceatorum Cardinalis Frater erat, & die vigesima quinta Julii Naissum urbem arte & natura munitissimam sed præsidio destitutam pactis conditionibus subegerat. Hic stetit victoriarum ac fortunæ cursus: quippe Æmilianus Baro de Rochan prope Vacupam in Bosnia ab incolis interceptus, ac trucidatus est, desideratis suorum bis mille quingentis. Stubergius quoque & Herbersteinus Zegdinensem obsidionem solvere, & celeri fuga, totoque pedum studio recedere compulsi, & Princeps Saxo-Hilburghusius in Bosniam a Seckendorffo immissus, ad Bagnalucam, quam obsidebat, a triginta Bosniensium, ac totidem Turcarum millibus invaluens, conferto prælio ingentem passus est caedem, cæsis plusquam quadraginta viri gradus Tribunis, & gregariis ferme

nongentis : unde amissis octo machinis bellicis, obsidionem solvere decretum est, converso ad occupandum Widdinum consilio; igitur Ludovicus Andreas Comes Kevenhüllerus secundum Danubium procedere iussus, Bassam ad deditionem provocat; brevi tamen experitur, nequaquam in imbellem pavidumque, nec in segniter præparatum imegisse Virum; quippe tam imperterita virtute Bassa hostiles retudit assultus, ut Kevenhüllerus cum suis Radojovacium retrocedere compelleretur. nec tamen ibi tuto consistere poterat; siquidem die vigesima octava Septembris ad Timocum velut in casses in sexdecim Turcarum millia incidit, fuissetque ad internecionem cæsus, nisi Cæsarei ac Saxonici militis virtus viam honestæ ac compositæ fugæ perfregisset, æquato pene cum victoribus decore, & damno; spectato enim paucorum (non plures erant quam sexies mille) adversus tantam hostium multitudinem, numero & fortitudine, Kevenhüllerus in discessu palmam reportabat, graviter de Seckendorffio questus, eoquod hic requisitus laboranti succurrere negligeret, & cum exercitus robore in Servia otiose subsisteret.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Præ-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Præterea Joannes Adamus Ban de Pfefferkorn ad Koffavam infausto prælio cæsus est: Eiterhasio autem qui cum triginta tribus cohortibus, viginti turmis ad Unnam in Croatia subsistere jussus erat, pugnandi vicem dique occasio defuit: & Pallavicinus octo duntaxat bellicis, & quinque turrimibus instructus classi Turcicæ impar, duas belli naves amisit: Doxatus vero Naissi Gubernator, qui Beronensis Calvinista erat, vix cepta obfidione hanc Urbem Turcis tradidit, ac propter præcipitem hanc deditionem Belgradum in quæstionem tractus est: Suscepta quoque Zwornickæ obfidio, sed mox soluta, oppugnantibus Belgradum sub tormentorum protectionem confugientibus, demum die secunda Octobris Uliza, Servicæ propugnaculum monti impositum a Cæsareis deditione ceptum est, Gubernatore Basfa ob ignavam illius defensionem capite plexo. Ita hoc anno tanti moliminis ac spei expeditio, nulla neque ductorum, neque militum ignavia, sed solius, ut creditum est, Seckendorffii culpa, prope propius in incassum irritumque cecidit. Hic enim toto bello tempore multa faciendo, nihil fecit & florentissimum Christianorum exercitum misere attrivit, quocum tamen

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Eugenius integram occupasset Thraciam. Eapropter Viennam in custodiam abductus, a Cæsaris alloquio excludebatur: crimini siquidem maxime datum, quod mora studiose quaesita Widdini obsidendi opportunitatem neglexerit, de bobus ad alendos milites destinatis sordidam negotiationem egerit & in qualibet re privatas utilitates suas spectarit, Lotharingæ Ducis nullam rationem habuerit, eo invito vinum Naissi occupatum sibi soli vendicarit, ipsumque Ducem in itinere Widdinum versus luculento exposuerit periculo, exclusis Khevenhillero, & Philippio Belliducibus nonnisi cum Schmettavio & Dicmaro belli senatum habuerit, denique quod florentissimum exercitum in multa agmina dissectum, crebris itineribus otiose, imo & ad perniciem circumductum perdiderit, cum tamen, si limitaneis propugnaculis justo præsidio firmatis, secundum Danubium cum toto exercitu processisset, abs dubio insignem Barbaris plagam intulisset.

§. X.

*Dissidia Papam inter & Hispaniæ
Regem feliciter composita.*

Haud

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Haud exiguo gaudio Pontificis animum compleverunt fausta bellum Turcici auspicia, majora sibi in Catholicæ Reipublicæ incrementa adhuc pollicitus: brevi tamen conceptam lætitiā interturbabat nuntius de infamata Cæsareorum expeditione; nonnihil tamen animo dejectum erigebat haud temere concepta proximæ cum Hispano Rege reconciliationis fiducia; hic quidem sicut & Carolus Neapolis Rex pertinaciter adhuc obstabant, ne Nuntii Apostolici in eorum Regnis ad sua repetenda munia admitterentur, in quo perferendo Clemens Papa miram sane longanimitatem, aut potius animi celsitudinem, conscientiæ suæ testimonio tatus, exhibuit, ac temporis iniquitati cedendum ratus id unicum solatii reliquum habuit, quod æquus animus haud quaquam mediocre sit calamitatis condimentum, nullaque tam gravis sit vexatio, & malum quod non tandem aliquo boni fructu comitigetur. Id plane nunc experiebatur Clemens; eo enim tempore, quo Hispani Regis indignatio ad summum fastigium accessisse videbatur, ab eodem literas, fidei observantiæ testes, recepit, in quibus Rex manifestabat, se torquenti hac animi cura, quod diutius tantum regiminis oneri ferendo impar, Religionem

ligione obstrictum se esse reputaret, ut **Sæc. XVIII.**
 clavum imperii deponeret, & se totum **A. C. 1737.**
 Deo sibi que traderet: hac igitur in re
 Pontificis consilium ac sententiam ex-
 petere. Eodem tamen prorsus tempo-
 re Cardinalis Aquaviva datus ad Pa-
 pam literis eundem rogabat, ut trans-
 missa ad Regem Epistola eidem omni-
 bus viribus dissuaderet, ne sese Regno
 abdicaret: Peropportuna erat hæc
 Pontifici ad paternum cordis sui affe-
 ctum sincere aperiendum occasio, qua
 usus multo rationum pondere Regem
 hortabatur, ac etiamnum obsecrabat,
 ut in turbida hac rerum, temporum-
 que vicissitudine Divino auxilio fretus,
 Regni administrationem diutius gere-
 ret. Cessit Rex Papæ monitis, & ab
 hoc temporis momento sese faciliorem
 erga eundem præbuit, quo comperto
 ipse etiam Aquaviva, cujus flabello an-
 tea dissensionis flamma acrius fuit ven-
 tilata, ad reconciliationem haud pa-
 rum conferre studuit; præprimis, enim
 cum Neapolitanæ commorationis per-
 tæsus, repetendæ Urbis Romanæ de-
 siderio flagraret, precibus humili de-
 precatione, omnibusque modis in id in-
 cubuit, ut a Clemente Papa & ab Hi-
 spano Rege Romam, quo prius Belluga
 Cardinalis ex Villa Alberoni accesserat,
 redeundi veniam obtineret, qua im-
 pet-

Sæc. XVII. A. C. 1737. petrata Cardinalis die quinta Marti
 Neapoli profectus, Romam contendit. Adhucdum tamen Pontifex omnes ca-
 ras eo admovit, ut exulceratos Tran-
 styberianorum animos perlanaret; ve-
 rebatur enim, ne Hispanorum reditu
 sopita in eos aversio recrudesceret,
 præcipue cum non deessent, qui po-
 pulum mordacibus scriptis in hanc Na-
 tionem concitare molirentur: Pruden-
 tiæ tamen ac Pontificis moderati-
 onis debebatur, quod adventantibus par-
 ter Hispanis Procuratoribus, & Co-
 mite Porta Romani in officio contine-
 rentur: Ipse etiam Cardinalis Aqua-
 viva nullam amplius mentionem de ob-
 tinenda injuriarum satisfactione sibi
 suisque a Transtyberina gente illata-
 rum iniecit, sed potius eas perpetua
 oblivione delendas censuit. De gra-
 vioribus ergo agi cæptum est, ac præ-
 ceteris de dirimendis, quæ dudum Pon-
 tifici cum Hispano Rege intercedebant,
 controversiis. Diu ultro citroque cæ-
 tatum, & varia conciliationis consilia
 utrinque proposita, sedi Apostolicæ
 plerumque minus congrua: Hispano-
 rum vero conditionum asperitatem
 plurimum emolliebat Caspar Molino
 Melachæ Episcopus, qui summam re-
 rum tunc in Hispanico Regno moder-
 batur; hic siquidem de Purpur
 Re

Romana, ad quam ab ipso Rege Car- Sæc. XVIII.
dinalis nominandus erat, tandem A. C. 1737.
consequenda admodum sollicitus, ut
se de Sacra sede bene meritum redde-
ret nil prætermisit eorum, quæ ad in-
clinandum Regis animum conferrent.
Itaque hujus potissimum opera res fe-
liciter confecta est, iis propemodum
viginti sex concordia legibus, de qui-
bus olim sedente Papa Clemente XI.
convenirent Marchio Compostæ & Pom-
pejus Aldroandus ad simile negotium
destinati, quamvis illæ conditiones
tunc nunquam firmæ ratæque fuissent
habitæ. Illarum erant potissimæ. I.
Ecclesiarum immunitas circumscriba-
tur. II. Promulgata de homicidis Con-
stitutio, de qua mox agemus, etiam
ad Hispaniarum Regnum extendatur.
III. Moneantur Episcopi de servandis
illis Concilii Tridentini decretis, quæ
de Clericorum ordinatione sancita fue-
rant. IV. Nulli Clericorum liceat tem-
poralia erigere beneficia nec in consti-
tuendis Clericorum patrimoniis, Regio
ærarario quid sit fraudi. V. Appellatio-
nes causarum beneficalium, quæ sum-
mam viginti quatuor aureorum duca-
torum excedunt, necnon jurisdictionis,
matrimonii, decimarum, & juris pa-
tronatus hisque similium causarum
fiant ad Pontificem, ceteræ vero causæ

G g 2 sæ

Sæc. XVIII. A. C. 1737. *fæ* utpote levioris momenti Ordinari-
 locorum iudicibus committantur, &
 Judicium sit penes Episcopos deligen-
 di post consueta examina magis ido-
 neos, qui Parochias regerent, quoties
 earum conferendarum Pontifex sua fa-
 cultate uti deberet: His vero nulla
 imponantur pensiones. VI. Bene-
 ficiorum redditus ex integro taxentur.
 VII. Nulli in Canonicatu detur adju-
 tor sine testimonio Episcopi tam *de ejus*
scientia & honestate, quam de necessi-
tate & utilitate Ecclesiæ, nec pensio-
nis onere graventur. VIII. Haud am-
 plius Pontificio Nuntio facultas sit di-
 missorias, ut vocant, literas conce-
 dendi. IX. Nec idem Nuntius, usque
 dum præfata taxatio absolvatur, suo
 jure utatur conferendi beneficia, quæ
 summam viginti quatuor ducatorum
 non excedunt, nisi iudicio Episcopo-
 rum ac certis testimoniis de eorum ce-
 su constet. X. Eidem Nuntio causas
 delegare, non amplius liceat, præter-
 quam iudicibus Synodalibus vel quibus-
 dam dignitates in Ecclesiis Cathed-
 ralibus obtinentibus. XI. Tertia pars
 fructuum Ecclesiarum vacantium in ca-
 rum & pauperum subsidium assignetur.
 XII. Ex Pontificis beneficentia utrius-
 que Siciliae Regi liceat rotæ Auditorum
 Nationis Neapolitanæ Romam decer-
 nere

nere. Supererat adhuc controversia de beneficiis juris patronatus: hanc tamen in rem conventum est, ut ultro citroque Viri seligerentur æquitatis studiosi, quibus hujus causæ cognitio committeretur, interea vero temporis nil omnino ab Hispano Rege moveretur, sed beneficia, quæ ad hanc controversiam spectant, Pontifex eorumque ordinarii Collatores in suis quisque Mensibus conferrent. His ita compositis, ac utrinque firmatis nil aliud deerat, quam pactorum executio, quam tamen nonnihil retardabat Cardinalis Cienfuegos, eoquod, uti ab eo petitum Montemregalem Archiepiscopatum in Sicilia situm Cardinali Aquavivæ in manibus Papæ cedere renueret, tandem vero ad Pontificis hortamenta ipsemet Cardinalis Cienfuegos annuit, ea tamen lege, ut annua viginti millium pensio penderetur ab Aquaviva. Sublato etiam hoc obice transactio die vigesima sexta Septembris Regio chirographo ac Sigillo munita Romam est transmissa, & Mense Octobri per universum Hispaniæ Regnum promulgata. Quo facto Hispaniarum Rex Virum nobilitate præstantem Romam ablegabat, qui Pontificem de confecta concordia certiolem redderet: Cardinalis quoque Aquaviva Papæ simul

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Sæc. XVIII. mul & Regis sui insignia foribus Hispani Palatii die quinta Novembris præfigi iussit, ac resumpta Hispani Ministerii nomenclatione cum universa sua Curia ad Papale Palatium solemnè pompa ductus, ad alloquium perbenignè assumptus est: Sequebatur altera die Cardinalis Belluga pari benevolentia exceptus. His ita transactis Apostolicus Papæ Nuntius die vigesima sexta Septembris Madritum vocatus, muneris sui partes libere exercuit, vicissim vero Romæ Curia ut vocant, Datarie aperta fuit. Paulopost Cardinalis Cienfuegos tam Cæsaris, quam Pontificis insignia palam affixit, Hispano & Neapolitano Regibus inde tantopere offensus, ut Philippus Rex præter Cardinalis pensiones etiam alios ejus redditus ærario addici juberet, quod tamen Cardinalis tam ægre tulit, ut Marchionem Montallegreum regium status secretarium anathemate percuteret, quo tamen illum Pontifex protinus liberavit. Hoc negotio feliciter confectio Clemens Pontifex pro suo, quo servabat concordie studio totus in eo erat, ut sublatis pariter diffidiis Neapolitani Regis animum sibi conciliatum redderet, tandemque pristinæ lites de immunitate, necnon de beneficiis, aliisque ad jurisdictionem Ecclesiasticam

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

pertinentibus ex integro dirimerentur: **Eo** sine quatuor selegit Cardinales, scilicet Firraum, Gentilem, Passerium & Spinellium, qui cum ipso de opportunis agerent pacem firmandi rationibus, sibi que in deliberando de maximis rebus operam consiliumque darent: Jam antea ab utriusque Siciliae Rege Romam missus erat Præsul Cælestinus Gallianus, qui Cardinalibus Aquaviva & Belluga in consultationem adhibitis, nomine sui Regis varia proposuit postulata, & quidem primo, ut illorum Ecclesiasticorum, quibus immunitas ab oneribus publicis indulgeretur, numerus tam in Ecclesiis, quam in Monasteriis imminueretur. II. Omnes hæreditates & legata, quæ Religiosis aut aliis Clericis tam ex immobilibus, quam ceteris bonis obvenirent, impostæ ærario Regio cederentur. III. Pontifex ad omnes Regni sui Episcopatus, Abbatias, aliaque Beneficia Ecclesiastica nominandi jus ad Regem devolveret. Hæc, ubi proposita fuere, Clemens se nunquam acceptaturum palam declaravit, eo quod indigna, sedi Apostolicæ maxime nociva, & haud toleranda viderentur. Enimvero sibi pollicebatur, Siculi Regni investitura constanter Regi denegata, eundem ad mitiora redactum iri consilia;

G g 4

ali-

Sæc. XVIII. aliunde vero haud temere verebatur
 A. C. 1737. ne Rex Hispani Regis potentia fretus
 hanc repulsam flocci haberet, & spre-
 ta inauguratione Pontificia Regnum
 velut ab omni clientelari nexu absolu-
 tum possideret, proin Sedes Apostoli-
 ca antiquo hoc jure penitus excideret.
 Eapropter Papa aliquid, sine tamen
 Ecclesiæ Romanæ præjudicio, pacis
 amore Regi indulgere decrevit: cum
 autem Gallianus non modo de postula-
 tis nihil remittere jussus esset, sed in-
 super Rex Cardinales, quos vellet in
 Sacris comitiis excludendi jus sibi af-
 ferri peteret, & Nuntio Apostolico om-
 nem jurisdictionem in utrumque Reg-
 ni Clerum adimi, ejus Tribunal claudi,
 nec ei ampliorem, quam quilibet sim-
 plex Orator apud externos Principes ex-
 erceret, potestatem concedi postularet,
 ac denique Urbani II. decretum Roge-
 rio Calabriae Comiti (ut fertur) con-
 cessum, vi cujus Siciliae Reges in
 profanis nati Romanæ Ecclesiæ Legati,
 & in Spiritualibus Legati a latere eli-
 sent, innovari vellet, Clemens Pon-
 tificex extremas potius calamitates per-
 peti, quam indignis ejusmodi præter-
 sionibus cedere maluit. Itaque invi-
 ctum semper se præbuit, & nisi con-
 ditiones magis æquæ proponerentur,
 se transacturum immota constantia ne-
 gavit.

gavit : Offerebantur equidem postea Sæc. XVIII.
 aliæ prorsus diversæ conciliationis le- A. C. 1737.
 ges, res tamen hoc anno nullo modo
 ad exitum deduci potuit. Cum ergo
 Rex in pervigilio SS. Apostolorum nec
 pro Regno Neapolitano nec pro Duca-
 tibus Parmensi & Placentino debitum
 clientelare tributum penderet, Apo-
 stolicæ Cameræ Commissarius nomine
 Lane solemnem interposuit protestatio-
 nem, quam tamen vicissim Orator
 Neapolitanus opposita protestatione
 elusit.

§. XI.

*Nova dissensionis ansa Papam inter
 & Neapolitanum Regem.*

Auxerat conciliationis difficultatem
 casus omnino inexpectatus : Res
 ita contigit. Mense Augusto Bussius
 Eques duas triemes Pontificias, qui-
 bus Dux Strozzius cum Coniuge sua
 vehebatur, ad Ænariam Insulam pro-
 movit, ac continuata demum naviga-
 tione prope Insulam Foveam defixis
 anchoris substitit, inde vero quosdam
 cymba vectos emisit annonam coemp-
 turos. Inciderat ea in Neapolitanam
 navim Sbirris instructam, quæ prohi-
 bitarum mercium propolas insectatu-

Sæc. XVIII. ra excurrerat; At ubi id animadvertente
 A. C. 1737. rant Pontificii milites cymbæ impo-
 siti ut Neapolitanos declinarent, ad Bul-
 sii triremes confugerunt, illico autem
 Neapolitani pyrio pulvere fartas portu-
 tiles fistulas in Papæ triremes exone-
 rant. Nec segnius Pontificii vicin-
 rependunt, & laxatis sclopis quosdam
 Sbirros trucidant, ne vero concursus
 mutuusque fieret insultus, Bussius ve-
 sus Pontiam Insulam iter suum prole-
 quebatur. Altera mox die jam duæ
 Neapolitanæ naves remis propulsæ,
 connitentibus indefesso lacertorum mo-
 tu servitiis jussu Regis triremes Ponti-
 ficias insequuntur, quæ tamen in Ar-
 zium portum jamjam appulsæ, dispa-
 sis pleno sinu velis innoxie Urbem ve-
 terem attigere. Ea res Neapolitanæ
 Aulæ Ministros male habuit, ac con-
 fessim in mandatis datum, ut omnes
 passim Pontificiæ naves, quascunque
 casus & fors in manus daret, hostili-
 ter invasas opprimerentur: Hæc ubi
 nuntiata fuissent Pontifici, in totam
 successus seriem, causamque exacte
 inquire jussit, & haustam inde rei gestæ
 notitiam Neapolin transmisit, irrito ta-
 men prorsus conatu, quamvis enim
 Cardinalis Spinellius nil intentatum
 relinqueret, ut expositæ rationes
 æquis auribus a Neapolitanis exciperentur.

rentur, eorum tamen mentes lethifera Sæc. XVIII.
 averfione fauciatas, ac pertinaciter in- A. C. 1737.
 vitas, nec verba officiofa, nec graves
 rationes hoc anno mollire ac fanare
 poterant.

§. XII.

*Concordia Papam inter & Lusitanicæ
 Regem restituta.*

Eodem quoque tempore actum est cum
 Joanne Lusitanicæ Rege, ut si quo
 tandem modo Hic ad pristinam concor-
 diam revocari posset: Erat illa quidem
 non mediocris difficultatis postulatio,
 cui Rex immote instittit, scilicet, ut
 omnes qui Ulyssiponenses designati fuis-
 sent Patriarchæ, perpetuo jure, ac sine
 mora in Purpuratorum Collegium co-
 optarentur: Obluctabatur huic petiti-
 oni nimium duræ, quantum posset,
 Pontifex: de Rege etiam ut quicquam
 remitteret, adeo sperari non poterat,
 ut etiam Roma excedere, suis subditis
 præciperet: Tum vero Clemens veri-
 tus, ne ulteriori repulsa, Regis ani-
 mum magis a se alienaret, Patrem
 Evoram tum Lusitanæ Aulæ Oratorem
 Romæ agentem eo inclinare studuit,
 ut habita cum selectis Cardinalibus con-
 sultatione hanc rem ad exitum dedu-
 ci

ei

Sæc. XVIII. A. C. 1737. ci procuraret. Horum igitur sententia accedens Pontifex concessit, ut omnes Ulyssiponenses Patriarchæ Cardinalitia decorarentur dignitate, et utraque hæc dignitas, si quis adesset Regii sanguinis Principi concederetur addita tamen hac lege, ut id loco nominationum esset, repræsentando scilicet id, quod in singulis comitiis, quibus Regibus facultas est ad Porpuram quemdam nominandi, erat conferendum, ac deinceps Pontifici integra esset ad Regni beneficia nominatio. His utrinque indultis firmatisque Regis animus Pontifici plene reconciliatus videbatur.

S. XIII.

Dissidium cum Joanne Gastone Magno Etruriæ Duce sublatum.

Intercefferat etiam summo Pontifici levis controversia cum Joanne Gastone Magno Etruriæ Duce. Hujus contentions argumentum præbuit electio Episcopi Piscinensis, cum alius motuo Bartholomæo Puccio in ejus loco cum esset subrogandus: Enimvero eodem Duci quatuor, quos ceteris digniores judicaverit, nominare ex antiquo more datum erat, ut ex his unum quem

quem voluerit, Pontifex eligeret. Id quoque cum a Prædecessoribus Papis Cosmæ III. ob singularem in sedem Apostolicam pietatem concessum fuisset, pariter sibi Joannes Gasto a Clemente Papa indulgeri, magnopere contendebat, ac propterea eum, quem sibi acceptissimum habebat, eligi petebat. Nec omnino restitit Pontifex, præcipue sui Prædecessoris exemplo perimotus, obversabantur tamen particulares, eæque graves causæ, ob quas illius, quem Dux commendabat, ratio haberi non potuit: Unde contingit, ut quem ex omnibus Episcopum delegit Pontifex, Dux respuerit, a Duce vero nominatus munus suum abdicare coactus fuerit. Nec tamen propterea Clemens a suo proposito, susceptoque consilio resiliit, sed omnino voluit, ut excluso, quem prius respuebat, nominato, ex integro alii designarentur. Id cum obtinisset, veluti satisfactione accepta, absque omni tergiversatione illum præ ceteris elegit, quem Joannes Gasto sibi commendabat, idque postea perpetuo observatum est.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XIV.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XIV.

Variae lites eodem anno terminatae.

Post tot lites feliciter compositas restabant leves adhuc contentiones, quas Clemens pacis amantissimus, pariter tolleret, extremos adhibuit conatus, nec irriti successu; cum enim Veneti ad Pontificiæ ditionis fines alveum Anconitani portus navigationis & Ferrariensis Ducatus commercio valde damnosum aperirent, Pontifex desuper apud Rempublicam querebatur. Venetis autem ejus querimonias flocculentis habentibus Carolo Imperatori nuntiatum est, hunc ipsum alveum Mantuanæ ditioni vel maxime damnificum fore. Re igitur maturius ponderata Cæsar hanc novationem multis nominibus reprobabat, quocirca Veneti a continuando hoc labore nulla mora desistere.

Sub idem ferme tempus Romæ rix est exorta, quæ summo Pontifici negotium facessere potuisset; illius famam dedere Sbirri, qui ex Fieravilla Cæsarei Agentis ædibus facinorosum juvenem, qui eo confugerat, admodum extrahere præsumperant; cum autem Comes de Harrach Cæsareus Administer immunitatem Legatorum demissis

mibus annexam hac ratione violari, **Sæc. XVIII.**
 summo Pontifici exponeret; mox Sbir- **A. C. 1737.**
 ris promerita pœna castigatis, & reo
 ad asyli locum restituto liti finis impo-
 situs est.

Non minus diuturna, quam perti-
 nax fervebat Regis Sardiniae conten-
 tio cum Clemente Papa, qui tamen
 & hanc tandem componi, summis vo-
 tis expetebat. Ea gratia Alexander
 Cardinalis Albanus hujus Regni Pro-
 tector Armgium Abbatem, quem a se-
 cretis habuit, urgente Papa Taurinum
 ablegat, dato eidem negotio, ut cum
 Rege de æquis transactionis conditio-
 nibus ageret. Ast hujus Aulæ Admi-
 nistri declarabant, de hac controver-
 sia agi non posse, nisi prius ea, quæ
 Benedictus XIII. olim Sardiniae Regi
 concessit, Clemens Papa confirmasset.
 Accepto hoc responso Abbas quadrin-
 gentis scutis auctus Romam redire jus-
 sus est.

§. XV.

*Clemens Papa in facinorosos seve-
 rus justitiæ vindex.*

Quo magis pacis studio flagrabat Cle-
 mens Papa, eo majore, æquissima
 tamen severitate ac fidei Zelo infecta-
 batur

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

batur publicæ tranquillitatis perturbatores, & Religionis hostes: cum enim Comes Trivellius natione Neapolitanus, necnon Joannes Baptista Abbas Giacominius deprehensi ac convicti fuissent, satyras ac famosos libellos contra S. Sedis honorem in vulgus sparsisse, in eos sententia capitis pronuntiata est: Neminem quidem acerbius, magisque mordaci calamo infestabatur Giacominius quam Cardinalem Guadagnium, qui tamen odia ac injurias sibi illatas beneficiis vincere iam assuetus, Pontificis Avunculi sui aures tam longis contumacibusque precibus pro impetranda rei venia fatigabat, ut Clemens heroicam Cardinalis virtutem remuneraturus, rigorem supplicii temperaret, ac capitis poenam in triemium multam converti annueret. Mense autem Februario Comes mortis judicio condemnatus est; Erat enim manifestus Religionis contemptor, qui pertinacia, vitiis ac Sacrilegiis, quæ a Religionis contemptu dictari solent ad portentum usque dissolutus erat: more eorum, qui effrænem credentiam libertatem quasi generosam nobilemque indolem ostentant: Unde de rebus Divinis & immortalibus sibi sermones & hortamenta fieri haud sustinuit, perulam professus, nullam sibi Religionis

nullam salutis curam esse vel unquam
 fuisse, nec ea, quæ supra & infra ip-
 sum essent, ad se pertinere, utpote
 non nisi Sacrificulorum commenta.
 Tenuit impia hæc mentis obstinatio
 per integrum ferme diem vitæ suæ po-
 stremum: maximo tamen Numius be-
 neficio, & fervidis Patris Canale mo-
 nitis factum, ut Comes paucis ante
 supplicium horis serio æternitatis hor-
 rore, & sincero cœlestium consiliorum
 sensu expugnatus, & totus in pœnitenti-
 dine delictorum ac incredulitatis suæ
 detestatione diffluens fidem Catholicam
 palam profiteretur; demum vero præ-
 via mentis lustratione ad supplicii locum
 deductus feralem ictum excepit. Po-
 stea Mense Septembri pariter duo Ab-
 bates Genasius & Ciceronius ob gravia
 delicta ad capitale supplicium damna-
 ti sunt; Sodales tamen Confraternita-
 tis S. Joannis Baptistæ decollati, qui-
 bus reos a mortis pœna quosdam libe-
 randi datum est privilegium, pro utro-
 que Abbate deprecabantur, vitæque
 veniam eis impetrarunt: unde in so-
 lemni supplicatione ad Ecclesiam S.
 Joannis deductis, post sacrum solem-
 ne, & acerbam delicti exprobrationem
 clausis foribus a Præfecto factam Pon-
 tificiæ gratiæ diploma pro more tradi-
 tum est.

Hist. Eccles. Tom. LXXV. H h §. XVI.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

§. XVI.

*Plures Beati Sanctorum Albo a
mente XII. Papa inserti.*

Idem Pontifex maximus singularem
jecerat curam ad promovendum
honorem & gloriam in Sanctis suis:
studio incensus hoc anno plures,
vitæ sanctitate post eorum obitum
jam æternum in cœlis præmium
epti fuerunt, Deo in terris etiam
eorum virtutes, ac merita signis & mi-
raculis contestante, & Ecclesia rite
approbante publicis quoque honoribus
ac cultu prosequendos decrevit, &
fidelibus ad virtutum imitationem pro-
posuit. Postquam igitur Pacificus
Archiepiscopi auctoritate in Ven. Vi-
centii a Paulo vitam, sanctitatis fa-
mam, & virtutes pro more rigide in-
quisitum, & constructus ut vocant pro-
cessus anno hujus sæculi nono a S. Be-
tuum Congregatione approbatus fuit
decimo octavo post anno Benedicti
XIII. declaravit, constare de ejus vir-
tutibus tam Theologicis quam Cano-
nalibus in gradu heroico. Facto de-
mum miraculorum examine ex quo
plurimis quatuor fuere approbata:
de biennio post hic Dei famulus Be-
torum, & approbatis aliis duobus

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

septem, Sanctorum Albo a Clemente XII. anno priori adscriptus est; id efflictim sollicitantibus Galliarum Rege ejusque Regina Conjuge, universo Franciæ Clero, tota Presbyterorum sæcularium, qui *Lazaristæ* a præcipuo Parisiensi eorum conventu ad S. Lazarum vocantur, Missionum Congregatione ejusque Proposito Generali, Joanne Bonneto: Itaque Pontifex Menſe Maio hujus anni publicum, ut ajunt, habuit Conſiſtorium, in quo hanc ſolem- nitatem ad diem Dominicam SS. Tri- nitatis indixit, & Canonisationis di- ploma a triginta tribus Cardinalibus ſubſcriptum die decima ſexta Junii pro- mulgavit. In eo proluxius hujus Viri vitam, ſanctitatis initia, ejus captivita- tem apud Turcas, Apoſtolicos labores, heroicarum virtutum exempla, Reli- gionis Zelum contra Jansenistas, inſti- tutam a ſe Congregationem Miſſiona- riorum, & fundatam Societatem puel- larum, quæ *charitatis* nuncupantur, ac denique glorioſam ejus mortem, & prodigia retulit.

Ceterum, quamvis generoſus hic Dei Athleta dum vixit, fidei purita- tem ſtrenue defenderit, ac ſuborto in Galliis Jansenismo acerrimum indixerit bellum, nihilque non moverit, donec

H h 2

impia

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

impia Jansenii dogmata a Sacra Sede
proscriberentur, nihilominus illi, quæ
privatæ suæ opinionis trophæum super
ruinas Jansenismi erigere moliti sunt
hujus sancti Viri apotheosin consueti
Jansenismi exprobratione ac calumniis
præpedire nitebantur; hinc præprimis
in Curia Romana objectabant, Vincentium
Vergerio de Havranne Abbatis
S. Cyrani Jansenistæ famosissimo nec
non Portu-Regiis Monialibus arcto
dere fuisse junctum, proinde Jansenis-
mo suspectum, ejusque Sodales tan-
secta infectos esse, bonam autem ar-
borem malos fructus ferre non posse.
Ita nempe eo adhuc tempore in con-
suetudinem abiit, objecto Jansenismi
probrio non modo Thomistarum, sed
ipsam quoque Sanctorum famam de-
rare: Verum Bonneti Generalis respon-
so utraque hæc invidiæ machina felici-
ter dissiliit; luculentis enim argumen-
tis ostendit, Vincentium cum Abbate
San-Cyrano non alio ex fine familie-
rius egisse, nisi ut illum a suis erro-
ribus averteret, cognita autem ejus per-
vicacia illum acriter fuisse infectatum.
Jansenismi vero calumniam ejus Sode-
libus impactam retudit Bonnetus, de-
clarans, eam ortum habuisse ab illis, qui
Parochiam novam Versaliis, ubi Colle-
gium erigi speraverant, Lazaristis con-
fer-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

ferri verebantur, ac propterea hos tam Romanæ Curia, quam Gallicæ Aulæ de Jansenii secta suspectos reddere nitentur: Falsam autem esse hanc criminationem demonstrabat Generalis ex eo; quod paucos illos, quos hujus sectæ suspicio afflaverat, e sua Congregatione ejecerit, ac insuper die prima Augusti anno hujus sæculi vigesimo quarto in comitiis Generalibus Constitutio *Unigenitus* solemniter ac unanimi omnium Deputatorum consensu ab omnibus suis Sodalibus recepta. Ceterum rejectis illorum, qui sub pietatis zelique velamento S. Vincentii splendorem objecto Jansenismo obfuscare, incassum laborabant, cavillationibus, biduo post aperta fronte ipsimet Jansenistæ Parisienses, uti memorabimus, tam in Divi memoriam, quam in Pontificis Bullam pro ejus Canonisatione promulgatam impotentibus furiis debacchabantur.

Eadem die Clemens Pontifex Beatum Joannem Franciscum Regis Societatis Presbyterum Canonum Sanctorum adscripsit, ut fideles ejus triumphum publico cultu celebrent, & insignes ejus virtutes imitentur.

Porro jam Mense Februario hujus anni S. Rituum Congregatio vitæ sanctitatis

H h 3

etitate

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

titate ac miraculis rite probatis de
 cretum edidit, quo declaratum, et
 solemnem Beatæ Catharinæ de Fies
 chis seu Flischæ Adurnæ, necnon
 annæ de Falconeriis Canonisationem
 tuto procedi posse. Eapropter Pon
 tificis die trigesima Aprilis desuper Pu
 puratorum Senatu habito, die vige
 ma tertia Maij per Antonium Felice
 Zondadium Cardinalem omnia, quæ
 in hac causa fuissent acta, necnon ve
 ram & miracula referri iussit. ac de
 mum habita per Gabrielem Serianum
 Consistorialis Aulæ Advocatum oratio
 ne Beatam Catharinam in Sanctarum
 Viduarum numerum, assignata annæ
 festivitatis die decima quinta Septem
 bris retulit, eo quod a prima sua juven
 tute eximiis virtutum exemplis ad fu
 turam sanctitatem præluxerit, ac in
 ipso conjugali statu inter plurimas ve
 xationes patientissime toleratas mundi
 oblectamenta fastidiens, totam sese Deo
 consecrasset, & carnem suam variis
 cruciatibus macerans, ferventissimam
 amorē erga Deum, pietate in pauper
 res, sui contemptu, assidua recurrens
 Divinarum contemplatione, aliisque
 virtutibus & prodigiis effulisset. Eo
 dem die ac solemnitate, postquam Ni
 colaus Maria Sacripantes perelegante
 pro Canonisatione Beatæ Julianæ Fal
 coneris

coneriæ patria Florentinæ perorasset, Sæc. XVIII.
A. C. 1737.
Pontifex illam ab universis Christi fide-
licibus tanquam Sanctam Virginem
publice honorari decrevit, eoquod illa
in teneris annis tam grandævam virtu-
tem proderet, ut Beatus Alexius ejus
Patruus Matri ipsius sæpe diceret, eam
non puellam, sed Angelum peperisse:
puritatis enim amantissima, spretis
nuptiis, Religiosarum Virginum insti-
tutum amplexata omnibus verbo & ex-
emplo præluxit, humilitate, modestia
ceterisque virtutibus mirifice excelluit,
in corporis maceratione, cælestium
contemplatione, continua contra ani-
mæ hostes victoria, & proximorum sa-
lute consenscens, raro prodigio in ex-
trema infirmitate Sacro Viatico refecta
sanctissime obiit, pluribus miraculis
incluta.

Horum quatuor Sanctorum festiva
apothosis in Basilica Lateranensi in
Festo SS. Triadis consueta pompa inter
reboantes tormentorum & campana-
rum strepitus solemniter celebrata est,
ipso summo Pontifice, viginti septem
Cardinalibus, & innumera populi fre-
quentia, supplicantium more ad ipsam
Ecclesiam procedentibus, ubi peractis
ceremoniis, & Litanis ac Hymno Am-
brosiano concinne decantatis Pontifex
duodecim scutorum millia in pauperes

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

distribui iussit, & omnibus utriusque sexus fidelibus rite confessis ac S. Synaxi refectis indulgentiam plenariam ac peccatorum remissionem contulit, præfatæ supplicationi & Canonisationi solemnibus interfuerint: ejusdem gratiæ etiam eos, qui domi vel in carceribus detinentur, necnon Moniales earum Monasteriis, vel alios legitime impeditos participes reddidit, dummodo recitatis tribus *Pater et ave* Deo gratias pro Canonisatione Sanctorum ad honorem Catholicæ fidei rependerent. Ceterum quatuor Sacra solemnia in ara maxima præfatæ Basilicæ quatuor Cardinales, non item Papa, peregere, eo quod hic ob corporales infirmitates, affectam valetudinem senilemque ætatem a dicta Ecclesia recedere coactus fuisset.

Nihilominus tertia post die decima nona Junij idem Pontifex mature discussis processibus Dei famulum Josephum de Leonissa Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capuccinorum Beatorum Catalogo, solemniter consuetoque ritu cooptavit. Eodem tempore Philippus Hispaniarum Rex Filio suo Cardinali Ludovico tanquam Toletano Archiepiscopo curam demandavit, ut in Joannis de Avila olim Clerici sæcularis sanctitatis fama inclyti virtutes & prodigia

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

digia inquiri, & nova testium examina institui, novosque processus auctoritate apostolica fieri concederetur. Eo fine insuper Archiepiscopus Martinum de Baccia Albucellanæ Ecclesiæ Canonicum Romam ablegavit, ut summo Pontifici & S. Rituum Congregationi hanc causam impense commendaret, eisque hujus Venerabilis vitam in Hispania typis vulgatam traderet. Attamen non Potentum commendatione, sed severo virtutum examine ac probata prodigiorum veritate publici cultus honores Sanctis ab Ecclesia decernuntur.

Pariter Mense Augusto Romæ in consuetis locis affigebatur S. Rituum Congregationis decretum de proxima beatificatione Ven. Claræ de Montefalco, Ritræ de Cassia, Hieronymi Æmiliani fundatoris Congregationis Clericorum Regularium de Somascha, & Joannæ Franciscæ Fremiot a Chantal Viduæ. Insuper Clementina Sobiescki nuper defuncta Jacobi III. Angliæ Regis Conjux prodigiis inclarescere credebatur; quædam enim Monialis Ord. Carmelitarum discalceatarum in Ginnasiorum Asceterio gangræna tam periculosa in pectore laborasse fertur, ut Medicorum ac Chirurgorum communi judicio malum nonnisi ferro

H h 5

atque

Sæc. XVIII. atque adustione sanari posset: Illa ven
A. C. 1737. Dei opem per hujus Reginæ interces
 sionem implorans, lintei, quo desu
 sta Princeps olim utebatur, partes
 vulneri applicarit: & Ecce! altera
 die, dum Chirurghi ferrum & ignem
 læsæ parti admoturi accurrunt, ne mi
 nimum quidem plagæ vestigium depre
 hendunt: Sparso hujus sanationis ro
 more confestim Cardinalis Guadagnini
 de facti veritate juratos testes excepit,
 erectoque desuper authentico instru
 mento totam rei seriem summo Pontifi
 ci exposuit, qui rursus hoc beneficium
 ad rigidum examen vocari, & profu
 sum, ut ajunt, *preparatorium de san*
ctitate vitæ hujus Principissæ intra
 jussit.

§. XVII.

*Pontificia Constitutio contra homici
 das ad Hispaniæ Regnum ex
 tensa.*

*Vid. supra
 pag. 467.*

Anno hujus sæculi trigesimo quinto
 ut suo loco retulimus, Clemens
 Papa pro statu Ecclesiastico Constitutio
 nem edidit, qua declaratum, neminem
 in casu homicidii voluntarii, nequidem
 Clericali tonsura vel minoribus Ordini
 bus initiato aliisque Ecclesiasticis pri
 vilegiis

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

vilegium fori aut immunitatis Ecclesiasticæ suffragari, sed hosce reos ab Ecclesia, servatis servandis, extrahi posse. Porro postquam Philippus V. Hispaniarum Rex cum Sede Apostolica concordiam inierat, inter alios concordati articulos, hanc ipsam Constitutionem ad sua Regna extendi petiit. Pontifex igitur illam nova Constitutione, quæ incipit: *Alias nos &c.* die decima quarta Novembris ampliavit, voluitque, ut ea ad omnes Ecclesiasticos homicidii reos, a Iudice tamen Ecclesiastico puniendos, necnon ad omnia Hispaniarum Regna extendatur: *Cum inter cetera*, inquit Pontifex in præfata Bulla, *quæ in tractatu viginti sex articulis comprehenso ac per mutuum, reciprocamque nostram, & Charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ratificationem, ac ratihabitionem in perpetuum inter Apostolicam hanc Sanctam Sedem, & earundem Hispaniarum Regna firmato, ac constabillito contenta & concordata fuerunt, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 12. currentis mensis Novembris expeditis literis uberius continetur, illud quoque concordatum fuerit, ut dispositionem præfate Constitutionis nostræ superius insertam, etiam ad Hispaniarum memoratarum Regna, in quibus homicidia frequentissima quoque sunt,*

ex-

Sæc. XVIII. extendere, & ampliare de Apostolica
 A. C. 1737. nignitate dignaremur. Nos igitur ad tan
 exitiale, ac detestabile homicidiorum flagi
 tium, quantum cum Domino possunt
 propulsandum, exterminandumque aduig
 lantes, prædictam Constitutionem pro uer
 uersa, ut præmittitur S. R. E. præfati
 ditione a nobis factam quoad præsertim
 his præsentibus literis respectiue ad prædicta
 Hispaniarum Regna Apostolica auctoritate
 motu proprio tenore præsentium extendi
 mus, & ampliamus, atque deinceps comi
 no, ac inuolabiliter observari præcipimus,
 & mandamus.

Volumus autem, ut sicut in nostra di
 ctione Ecclesiastica, sola sententiæ Contu
 macialis, & actorum, quibus illa fundat
 tur, exhibitio ad hoc, ut sufficiat, ut dic
 tus iudex Ecclesiasticus ex illorum inspectio
 ne duntaxat agnito, num sententiæ contu
 macialis legitime, iusteque prolata sit ad
 formam Constitutionum Apostolicarum, pro
 nunciare, ac declarare queat & debeat, an
 Bannitus, & in Contumaciam Damnatu
 consignandus veniat necne, ita pariter pro
 Regnis Hispaniarum sola sententiæ contu
 macialis, ac actorum, quibus illa fundat
 tur exhibitio ad hoc sufficiat, ut iudex Ec
 clesiasticus ex illorum inspectioe duntaxat
 agnito, num sententiæ contumacialis legit
 me, iusteque prolata sit ad formam legum

Et statutorum eorundem Regnorum Hispaniarum pronunciare, ac declarare queat, ac debeat, an Bannitus, & in Contumaciam Damnatus consignandus veniat, necne. Sæc. XVIII. A. C. 1737.
Volumus autem, ut lapsis viginti quinque diebus postquam præsentis literæ per earundem Hispaniarum regna ab Ordinario nostro, atque Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis in iisdem Hispaniarum Regnis Nuntio publicatæ fuerint, omnes, & singulos in præfatis Regnis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatæ fuissent, utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. &c.

§. XVIII.

Alie ejusdem summi Pontificis Constitutiones & decreta.

Hoc item anno Clemens Papa plures edidit Constitutiones, quas ad animarum salutem, Religionis incrementum, pacis conservationem, & Ecclesiæ disciplinam plurimum expedire arbitra-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

bitrabatur; ac præprimis, ut Missionarii ex Ord. FF. Capuccinorum ad procurandam gentium conversionem in Orientalibus & Occidentalibus Regnis magis accendantur die vigesima octava Januarii illis ipsa die, qua ad Missionum loca pervenerint, si confessione prævia S. Communionem sumperint, necnon in mortis articulo, si in itinere vel in ipsa conversione decesserint, indulgentiam plenariam concessit. Pro Carmelitis vero Excalceatis, cum Mechoacanus Episcopus in Indiis eorum Confraternitates & Oratoria visitare tentaret, die trigesima prima ejusdem Mensis declarabat, Ordinariis locorum in Indiis non licere visitare Confraternitates in horum Religiosorum Ecclesiis erectas vel erigendas nec eorum oratoria ruralia in prædiis extructa, in quibus ipsi Missam pro spirituali colonorum ibidem degentium consolatione celebrare consueverunt: Pari favore etiam cumulabat Pontifex Patres Carthusianos, eis concedens, ut Oratoria & Altaria in eorum Grantiis & Domibus, in quibus residebunt Sacerdotes dicti Ordinis, non modo erigere valeant, sed etiam ad hoc sufficiat, quod præfata Oratoria &c. visitata & approbata sint a Patribus Visitatoribus ejusdem Ordinis. Die vero vigesima

secus

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

secunda Februarii indulgentias plenarias pro Ecclesiis, in quibus Jesuitæ communionem generalem celebrant, ad quindecim annos prorogavit: Sub idem tempus Joannes Coutius Superior Generalis DD. Laceristarum circa necessarium suffragiorum numerum in generali Congregationis conventu binas controversias movit; cum enim Electores numero impares essent, dubitatum est, I. utrum major pars censenda esset media parte superior; Re itaque mature expensa, auditisque singulorum sententiis definivit Conventus, ex triginta quinque Electorum, quibus constabat, suffragiis novendecim requiri, ut Assistentium & Admonitoris valeret præsens electio, eo scilicet nixus fundamento, quod talis sit numeri imparis ratio, ut in duas partes inæquales divisi major pars non superet medietatem, sed sit tantum major medietas. Si vero per Compromissarios res dirimenda foret, eorum major pars sufficeret ad electionis vim, & firmitatem.

II. Dubitatum quoque, cujus sit mortuo Superiore Generali, & impedito Vicario Generali Congregationem regere? Circa hoc dubium Parisiensis Conventus ita decidit, quod si contingeret, illum, qui in Scheda manu propria defuncti Superioris scripta, nominatus est
Vi-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737

Vicarius Generalis e vita decessisse, aut gravi morbo detineri, aliove modo impedi, quo minus intra unam, aut alteram hebdomadam suo officio, ut par est, vacare possit, de quo morbo, aut impedimento Assistentes cum Sacerdotibus ejus Domus, ubi sint Arculæ, modo in Congregatione post emissa vota sexennium, excegerint, ab plura suffragia eodem obitus die, & quæprimum fieri poterit judicabunt, ita tamen, ut in ea deliberatione primus Assistens non sit præsens, tunc primum Assistentem superioris Generalis admittere tanquam Vicarium Generalem tenebuntur, ita ut Vicarius Generalis nominatus, sed impeditus, etiamsi postea convalescat, aut ab absentia, alteriusve generis impedimento liber fiat, nullum amplius jus habeat ad regendam Congregationem.

Utramque autem hanc Parisini Conventus decisionem Pontifex ad præfati Superioris Generalis petitionem die vigesima sexta Martii auctoritate Apostolica confirmavit. Biduo post plenariam concessit indulgentiam iis, qui aliquam ex Ecclesiis Clericorum Regularium Barnabitarum in festo S. Francisci Salesii visitaverint, declaravitque die nona Aprilis, indulgentias alias concessas pro visitantibus Ecclesiis Missionariorum Capuccinorum natione

tione Gallorum in partibus infidelium
 etiam pro defunctis per modum suffra-
 gii applicari posse.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Porro jam die undecima Augusti
 anno hujus sæculi trigesimo sexto in S.
 Rituum Congregatione introductio
 causæ Canonisationis B. Michelinæ
 Viduæ Pifaurenfis admiffa, & a Papa
 approbata fuit, nunc vero processu in
 Curia Episcopi de cultu eidem Beatæ
 ab immemorabili tempore præfrito ma-
 turius examinato Vincentius Ludovicus
 Gotti Cardinalis hoc proposuit dubium:
*An sententia Philippi Pifaurenfis Episcopi
 lata super casu excepto a decretis ipsius Ur-
 bani Prædecessoris, sive super Cultu pub-
 lico ab immemorabili tempore dictæ Beatæ
 præfrito esset confirmanda in casu, & ad
 effectum, de quo ageretur. Et eadem
 Cardinalium Congr. resolutionem di-
 stulisset, atque interea mandasset, fie-
 ri diligentias in Civitate prædicta Pi-
 faurenfi pro perquisitione, ac transmis-
 sione cujusdam Modi vivendi Regulæ,
 & Capitulorum dictæ Beatæ adscripto-
 rum: atque hisce diligentis expletis,
 novissime delatus fuisset ad hanc
 Almam Urbem parvus processus a
 præfato Episcopo Piffaurenfi confec-
 tus, & idem Vincentius Ludovicus
 Cardinalis Gotti Ponens die sexta cur-
 Hist. Eccles. Tom. LXXV. li rentis*

Sec. XVIII. rentis Aprilis relationem fecisset con-
A. C. 1737. nium contentorum in dicto parvo pro-
 cessu, unde constitit, nihil fuisse re-
 pertum, & eadem Congregatio Cardi-
 nalium censuisset, posse procedi ad ultra-
 riora; subindeque repropósito prælo-
 to Dubio super confirmatione Sente-
 tiæ, matureque discussio processu info-
 mativo hac de re constructo, & tam in
 voce, quam in scriptis Dilecto Filio
 Magistro Ludovico de Valentibus in
 utraque Signatura Referendario &
 Apostolicæ Sedis Notario, Proto-
 notario nuncupato supra numerum
 participantium, ac Fidei Promotore
 desuper audito: memorata Congrega-
 tio Cardinalium responsum edidit Af-
 firmative. Hinc Pontifex die vigesima
 quarta Aprilis Jacobi Angliæ Regis,
 & Cardinalium aliorumque Præsalum
 status Urbinatensis precibus inclinatus
 S. Congregationis decretum *de casu ex-
 cepto a decretis prædicti Urbani Prædecesso-
 ris, sive quod de Cultu publico ab immemor-
 bili tempore dictæ B. Michelinæ præstito
 constet, auctoritate Apostolica, tenore
 præsentium confirmavit & approbavit, il-
 lique Apostolicæ firmitatis robur adiecit,*
 salva tamen semper in præmissis au-
 ctoritate memoratæ Congregationis
 Cardinalium.

Præterea Clemens Papa die vigesi- Sæc. XVIII.
 ma secunda Maij indulgentiam plena- A. C. 1737.
 riam concessit omnibus, qui in Ultra-
 montanis Provinciis orationi per quad-
 raginta horas continuatæ, & nonnisi
 noctis tempore interruptæ in Ecclesiis
 PP. Capuccinorum interfuerint.

Anno priori Procurator Provinciæ
 Hibernicæ Carmelitarum summo Pon-
 tifici exposuit, quod Fratres prædicti
 Ordinis anno 1260. tempore Henrici
 III. Regis, Hiberniam ingressi ita reli-
 giosæ vitæ, ac doctrinæ exemplis po-
 pulos illos in ejusdem Ordinis venerationem
 perduxerint, ut tempore Edu-
 ardi IV. sive I. Andegavenfis Regis cir-
 ca annum 1303 in Provinciam coales-
 centes ad triginta duos Conventus ha-
 buissent, ac per trecentos, & amplius
 annos quam plurimos viros Ordinis
 prædicti virtutibus, ac literis in-
 signes Sacris Infulis fuisse deco-
 ratos memoriæ traditum esset, sub-
 inde autem propter persecutionem
 Catholicis ab asserta Regina Elisa-
 betha motam, inflictamque, Fratri-
 bus præfatis, aut occisis aut fugatis,
 Provincia illa extincta fuerit, postmo-
 dum vero Fratres illuc redeuntes, ad
 usque Cromwelli Tyranni, a quo peni-
 tus

Sæc XVIII. tus deleti fuere, tempus perduravit
 A. C. 1737. Ast sub Jacobo II. Clar. me. dum vixit
 Angliæ, & Scotiæ VII. Rege iterum re-
 stauracionem aggressi cum ipso etiam
 Rege patrium solum relinquere ab intro-
 so Guillelmo III. coacti sese in Gallias re-
 ceperint. Denique ad propria reversi, &
 indies Deo propitio, crescentes, sub cu-
 ra & auxilio provinciæ Reformatæ Ter-
 ronix præfati Ordinis fuerint, a qua
 præclaris Clarissimi in Christo Jacobi
 III. Magnæ Britannix Regis Illustris,
 & Josephi Renati dum viveret tituli S.
 Laurentii in Lucina Presbyteri S. R. E.
 Cardinalis Imperiali nuncupati Hiber-
 niæ apud Papam, & Sanctam Sedem
 Protectoris studiis & opera separatis an-
 1729. unus Generalis Commissarius
 & Vicarius ex ipsismet Fratribus con-
 stitutus datusque fuerit, sub quo us-
 que ad duodecim Conventus recupera-
 ti sunt: In Congregatione vero eorun-
 dem die 23. Septembris proxime elapsi
 in conventu Dublinensi celebrata novos
 Rectores Domorum eligentes, & suff-
 fragantes pœne omnes in favorem Ge-
 neralis Commissarii & Vicarii moderni
 Priori Generali totius prædicti Ordinis
 preces obtulerunt, ut quamvis sola
 ipsis facultas sex simul eidem Generali
 Priori præsentandi inesset, tamen dic-
 tum

tum Generalem commissarium, & Vi-
 carium sibi Superiorem designare, & Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.
 confirmare mallet. Cum autem præ-
 fati Carmelitæ ad pastorale animarum
 ministerium obeundum ab ipsis Archie-
 piscopis, & Episcopis secum ibidem
 adhibeantur, atque adeo ab iisdem
 quoque consulibus commendentur, ut
 quemadmodum ceteri mendicantium
 Ordines ibidem, & alibi propriam Pro-
 vinciam obtinent, ita ipsis etiam suam
 Provinciam habere, Provinciam eli-
 gere, aliosque Ministros, & Officiales
 deputare, & omnia, sicut antea in mo-
 re positum erat, facere, & constituere
 liceat, atque hujus rei causa memora-
 tus Prior Generalis prædicti Ordinis
 desuper præmissis exoptulatus assisten-
 tiam quidem suam promittens, hujus-
 modi vero facultatem a Papa sibi esse
 impetrandam responderit: propterea
 Antistites, & Fratres præfati humili-
 ter Clementi Papæ supplicarunt,
 ut opportune ipsis in præmissis
 providere, & ut infra indulgere de
 Apostolica benignitate dignaretur: Ea-
 propter Pontifex die decima Octob-
 ris Provinciam strictioris observantiæ
 præfati Ordinis totius Regni Hiberniæ
 sæpedicti cum omnibus conventibus
 nunc existentibus, & in posterum re-
 cuperandis, ceterisque annexis, &

Sæc. XVIII. A. C. 1737. connexis in pristinum statum cum se-
cultatibus eligendi proprium Provinciam, diffinitores, aliosque Officia-
les, & Ministros deputandi, auctoritate Apostolica tenore præsentium re-
stituit, ac de novo, quatenus opus fu-
erexit, & constituit, ipsique Provin-
ciæ sic restitutæ, ac de novo erectæ
Conventum Edemburgi olim Provin-
ciæ Scotiæ existentem perpetuo uni-
vit, & annexuit ac Provinciali pro tem-
pore præfatæ Provinciæ Hibernæ futu-
ro facultatem quoque deputandi Vicar-
ium Provinciale prædictæ Provin-
ciæ, & Priorem prædicti Conventus
Edemburgi, eadem auctoritate Apo-
stolica tribuit, & impertitus est.

Insuper cum pro hac vice tantum
eidem Provinciæ de idoneis Priore Pro-
vinciali, & definatoribus providere vel-
let, ac de infracriptorum Fratrum
expresse professorum fide, prudentia,
charitate, integritate, doctrina, vigi-
lantia, & Religionis Zelo plurimum
in Domino confisus, dilectos filios
Mathæum a S. Eliseo in sacra Theolo-
gia Doctorem alias Lion, in priorem
Provinciale, ac Simonem Stoc, alias
a Burth in primum, Patricium a Sa-
cta Maria Magdalena, alias Moans in
secundum: Jacobum a Nativitate alias
Bis

Barnis in Tertium, Jacobum a sancta Sæc. XVIII.
 Theresia alias Pendergat in Quartum A.C. 1737.
 Definitorum dictæ Provinciæ sic a Pon-
 tifice erecta ad tempus, quo ejusmo-
 di officia juxta regularia ejusmodi Or-
 dinis Instituta durare consueverunt
 cum omnibus & singulis prærogativis,
 præeminentiis, facultatibus, auctori-
 tate, privilegiis, gratiis, & indultis,
 ac honoribus, & oneribus solitis, &
 consuetis, auctoritate & tenore præ-
 dictis constituit, & deputavit. Præte-
 rea pro proximo futuro Capitulo gene-
 rali eundem Mathæum in Definitorum
 generalem, ac Patricium a sancta Ma-
 ria Magdalena in primum ac Joannem
 Oneal in secundum Socium, nec non
 Guillelmum Fleyri in Vicarium Pro-
 vincialem Scotiæ, & Priorem Conven-
 tus Edemburgi, ac Petrum a Pender-
 gat socium & secretarium ejusdem
 Scotiæ eadem auctoritate instituit pa-
 riter & deputavit. Mandavit propte-
 rea in virtute sanctæ obedientiæ omni-
 bus, & singulis memoratæ Provinciæ
 Superioribus Fratribus, & personis,
 ceterisque, ad quos spectat, & specta-
 bit in futurum, ut supernominatos fra-
 tres ad officia eis respective per præsen-
 tes demandata, illorumque liberum
 exercitium juxta earundem tenorem
 præsentium recipiant, & admittant,

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

eosque recognoscant, & illis in omnibus ad eadem officia spectantibus pareant, & obediant, faveantque, & assistant.

Jam supra memoravimus, Joannem V. Lusitanæ Regem omnino petiisse, ut Ulissiponensis Patriarcha semper Cardinalitia fulgeret dignitate: quapropter Pontifex Regis precibus annuens, hanc gratiam apostolica Constitutione die decima septima Decembris firmabat. Illius summam huc referre lubet: „cum Venerabilis Frater „Patriarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occidentalis iis insignibus, & prærogativis a se. rec. Clemente XI. & Benedicto XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris primum ordinatus fuerit, ut profecto inter Ecclesiasticos Præsules & Antistites plurimum excellat, hinc est, quod nos etiam congruum, & consentaneum propterea fore existimemus, si Patriarcha præfatus per laudabilem providentiæ & indulgentiæ rationem, quam Apostolica hæc S. Sedes quantum commode fieri poterit, in assensibus S. R. E. Cardinalibus habere consuevit erga Orthodoxas Nationes, inter eosdem S. R. E. Cardinales etiam per antedictæ providentiæ anticipatiorem in posterum adnumeretur, quem „admo-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„admodum ipsum quoque Charissimum
 „in Christo filium nostrum Joannem
 „Portugalliæ & Algarbiorum Regem
 „Illustrem de Catholica Religione mul-
 „tis nominibus, & præsertim ob exi-
 „miam pietatem, ac constantem, fi-
 „delissimamque erga Apostolicam hanc
 „Sedem probatam observantiam, ac
 „singularem sollicitudinem, studium,
 „Zelumque in provehenda, propagan-
 „daque ad instar omnium Portugalliæ,
 „& Algarbiorum Regum Prædecesso-
 „rum suorum apud barbaras, remotis-
 „simasque Gentes Catholica fide meri-
 „tissimum, ac propterea omnibus Apo-
 „stolicæ liberalitatis documentis dig-
 „nissimum id ipsum sentientem deside-
 „rare accepimus.

„Quamobrem motu proprio nostro,
 „& Successorum nostrorum, & Sedis
 „Apostolicæ nomine, de nonnullorum
 „etiam Venerabilium Fratrum nostro-
 „rum S. R. E. Cardinalium consilio
 „concedimus, & indulgemus, ut me-
 „morata erga Catholicas Nationes pro-
 „videntia suffragante, in Consistorio
 „provisus. & electus pro tempore Pat-
 „riarcha Ecclesiæ Ulixbonensis Occi-
 „dentalis, qui alioquin peculiaria jux-
 „ta Constitutiones Apostolicas ad Car-
 „dinalitiam dignitatem requisita ha-
 „bere

Sæc. XVIII. „bere debeat, in amplissimum ejusdem
A. C. 1737. „S. R. E. Senatum in altero immediat
 „sequenti Consistorio cooptetur, eique
 „suo tempore, servataque consueta
 „forma, unus ex Cardinalitibus titulis
 „assignetur juxta Constitutiones se. re.
 „Sixti Papæ V. Quod si nulla adit
 „eandem Catholicis Nationibus imper
 „tendi Apostolicæ benignitatis gratiam
 „opportunitas, tamen per anticipatio
 „nem etiam non semel, & quoties opus
 „fuerit, faciendam in Sacrum Card
 „narium Collegium adscisci, ea quidem
 „lege statuimus, ut quoties vigore præ
 „sentium laudatæ Apostolicæ benefi
 „centiæ testimonia acceperit Natio Lu
 „sitana, toties nulla eidem obscuro
 „dandi ratio habeatur, cum opportuna
 „gratificandi aliis Nationibus, aut
 „Pontifici ipsi, qui Patriarcham S. R.
 „E. Cardinalem declaraverat, aut sibi
 „succeedentibus pro tempore Summis
 „Pontificibus se obtulerit occasio.

„Porro huic Pontificiæ nostræ con
 „cessioni providentiæque motu proprio
 „& ex certa scientia, ac matura deli
 „beratione nostris, ac de Apostolicæ
 „potestatis nostræ plenitudine imita
 „tunc locum esse statuimus, cum supra
 „dictam Patriarchalem Ecclesiam Ul
 „ixbenensem vacare contigerit, trans
 „lationi

„lationibus, & dimissionibus omnino Sæc. XVIII.
„exclusis, nisi tamen ad dimissionem A. C. 1737.
„admittendam causa adeo urgens pub-
„lica & necessaria sit, ut serio expen-
„sa, neque etiam per suffraganei An-
„tistitis subsidium Patriarchalis Eccle-
„siæ indigentis occurrere possit, atque
„in secreto eorundem Venerabilium
„Fratrum nostrorum S. R. E. Cardina-
„lium Consistorio, ac ab ipsis pro tem-
„pore Romanis Pontificibus compro-
„betur; sicque futuris perpetuo tem-
„poribus a nobis, successoribusque no-
„stris servandum esse decernimus, &
„statuimus“.

Nec hac speciali gratia contentus
Papa insuper eidem Regi jus præsen-
tandi ad omnes dignitates & Canoni-
catus præfatæ Ecclesiæ Ulyssiponensis
concessit, in cujus diplomate Pontifi-
cio tam ampla reperitur dicti Regis
commendatio, ut merito sibi locum in
hac Historia vendicet: Ejus verba sunt
hæc. „Cum Charissimus in Chri-
„sto filius noster Joannes hoc no-
„mine Quintus Portugalliæ & Algar-
„biorum Rex Illustris præclaris majo-
„rum suorum vestigiis inhærens copio-
„so piorum operariorum cætui ad am-
„plificandam in longinquis Regionibus
„Agri Dominici messem verbumque
„Dei

Sæc. XVIII., „Dei seminandum indefessa vigilan-
A. C. 1737. „tia, & Regia liberalitate temporalium
 „vitæ subsidia quotannis subministrari
 „consueverit, divinique cultus assidue
 „um propagatorem se agere semper
 „studuerit, nec non ejusdem Aposto-
 „licæ Sedis opportunitatibus, ut pri-
 „mum notas habuit, paratissimo oble-
 „quio, & auxilio, ut fidelissimum de-
 „cet Principem non sine gravi suo, suo-
 „rumque subditorum incommodo præ-
 „sto esse sategerit.

„Nos tantis ejusdem Joannis Regis
 „meritis paternæ nostræ consideratio-
 „nis lance pensatis, ut servitiorum præ-
 „dictorum Apostolicæque liberalitatis
 „vicissim præstita munera mutui inter
 „se monumentum, & stimulus amoris
 „existant, eidemque Joanni Regi,
 „ejusque in dictis Regnis Successori-
 „bus uberiores, qua piis, & bene-
 „merentibus Ecclesiasticis personis gra-
 „tificari queant, facultatem subministra-
 „re cupientes, motu proprio, & ex cer-
 „ta scientia, meraque liberalitate no-
 „stris, deque Apostolicæ potestatis ple-
 „nitudine, eidem Joanni, & pro tempore
 „existenti Portugalliæ, & Agari-
 „biorum Regi Juspatronatus, & præ-
 „sentandi, ac nominandi ad omnes
 „& singulas infra scriptas dignitates,
 „omnes

„omnesque, & singulos infra scriptos Sæc. XVIII.
 „Canonicatus, & præbendas, nec non A. C. 1737.
 „Capellaniam infra scriptam, ac dimi-
 „dios Canonicatus, & dimidias Præ-
 „bendas, nec non Quartanarias Eccle-
 „siæ Ulixbonensis Orientalis“.

Præterea in ipsam Ulyssiponensem
 Patriarchalem Ecclesiam liberalis Pon-
 tificis die octava Februarii anni sequen-
 tis edita Constitutione concessit, ut
 quarta pars reddituum a Patriarchali,
 Archiepiscopalibus, & Episcopalibus
 Ecclesiis in Portugallia & Algarbio-
 rum Regnis existentibus alias dismem-
 brata favore dignitatum, Canonico-
 rum, & Beneficiatorum Patriarchalis
 Ecclesiæ Ulyssiponensis Occidentalis a
 Clemente XI. & Innocentio XIII. PP.
 amplietur ad tertiam præfatorum pro-
 ventuum partem. aliique Ecclesiastici
 redditus pro earundem Dignitatum &
 Canonorum decentiori sustentatione
 & Patriarchalis Ecclesiæ manutentio-
 ne perpetuo applicentur: Hujus vero
 singularis favoris Pontificii causam his
 verbis exposuit Clemens: religiosa
 Christianorum Principum erga divini
 servitii decorem vota paterno prosequi-
 mur affectu, eaque ad debitum, prout
 pastoralis nostri muneris sollicitudo,
 & laudabilis eorundem Principum
 „exi-

Sæc. XVIII. „exigit devotio, perducimus imple-
 A. C. 1737. „mentum. Quapropter dum nos pro-
 „vidam nostræ considerationis acien-
 „dirigimus ad inclitam, & veræ re-
 „giam charitatem Charissimi in Christo
 „filii nostri Joannis hoc nomine quini-
 „Portugallix & Algarbiorum Regis Il-
 „lustri, qui in Regnis suis non solum
 „temporalium, verum etiam, & præ-
 „cipue spiritualium rerum sublime no-
 „men ad divini servitii gloriam, eri-
 „gendamque ad beatam Sion populo-
 „rum suorum devotionem perionare,
 „& in ejus Patriarchali Ecclesia Ulix-
 „bonensi Occidentali Cælestis Beato-
 „rum civium Aulæ imaginem exhiben-
 „te in terris personas divinis obsequiis
 „jugiter insistentes pro earum debita
 „manutentione, & prout Patriarcha-
 „lis Ecclesiæ prædictæ postulat digni-
 „tas, novis facultatibus, annisque
 „redditibus communiri, eisque sic
 „communitis, Cælestis Aulæ, ac Beato-
 „rum Civium prædictorum in Patri-
 „archali Ecclesia hujusmodi sibi, po-
 „pulisque suis elucescere majestatem
 „piissimis, ac vere fidelissimo Regi
 „dignis exoptat affectibus, ad deside-
 „ria sua hujusmodi Apostolicæ liberali-
 „tatis nostræ partes favorabiliter inter-
 „ponimus, prout pensatis desideriorum
 „pre-

„prædictorum erga divini servitii deco- Sæc. XVIII.
„rem meritis, in Domino conspicimus A. C. 1737.
„salubriter expedire“.

§. XIX.

*Festiva solemnitas ob elevatum S.
Agilolfi Corpus.*

Colonia Agrippina, inter plurima alia
sacrarum exuviarum deposita, qui-
bus cumulatissime abundat, corpus
etiam possidet S. Agilolfi, seu Agilul-
phi, qui a S. Bonifacio ex Anglia in
Germaniam ad prædicandum Christi
Evangelium adductus, atque in Mo-
nasterio Malmodariensi monasticam vi-
tam professus, primus Abbas, postea
Coloniensis Archiepiscopus renunciatus
est, ac demum, cum Christi fidem
strenue annuntiaret, circa annum Do-
mini septingentesimum decimum septi-
mum, ab impiis crudeliter interemptus
ac martyrio coronatus multis miracu-
lis claruit. Corpus ejus, quod in Ec-
clesia S. Laurentii, Malmodariensi Cœ-
nobio contigua sepultum fuit, S. An-
no Coloniensis Archiepiscopus argen-
teo Sarcophago e præfato Monasterio
Coloniam & in Cœnobio suo ad Gra-
dus Mariæ die nona Julii reposuit. Hu-
jus Sancti Martyris cultus ob creberri-
ma

Sæc. XVIII,
A. C. 1737.

ma prodigia indies augebatur, qui tamen postmodum lapsu fortasse temporis, ut in rebus humanis ac præcipue in Religionis fervore, evenire non raro solet, in illis locis vel tepide perseverabat, vel omnino intermitteretur: Quorundam tamen Archiepiscoporum pietas, ac Dei sanctorumque cultum promovendi studium Sancti hujus Martyris venerationem sensim pristino aut meliori saltem splendori restituit, ac præceteris Clemens Augustus Bavaricæ Dux & Archiepiscopus atque Elector Coloniensis hoc anno nihil prius habebat quam instituire solemnem hujus Divi translationem. Eares, si quo unquam, solemnissimum cum triumpho acta est. Præfigebatur dies nona Julii, primæ ejusdem translationis anniversaria, qua Archiepiscopus Pontificio habitu insignis cum universo Clero & Notariis ad sepulture locum processit. Remota humo occurrit primum tumba sex ferme pedes longa, ob nimiam vetustatem a rubigine & carie adeo consumpta, ut vix contacta in pulveres & limaturas pene desineret. Hæc capsula cum S. reliquiis ibi repertis omni circumspectione ac debita reverentia, accensis cereis sublata est, atque in novam ex argenteo affabre elaboratam tumbam recondita.

ac obserata ad Collegialem Ecclesiam Sæc. XVIII.
 S. Mariæ transferenda erat: Quo fa- A. C. 1737.
 cto Sacer inaccessus principium habuit.

Pompam ducebant sacræ Sodalitates, quas sequebantur utriusque Cleri Sacerdotes in suas classes distincti: Exinde post Crucem auream Archiepiscopalem Canonici Metropolitanæ, & Collegiati atque Abbates & Præpositi incedebant, tandem aderant ipsæ Sacræ reliquæ in pretiosa tumba reconditæ; cui oneri octo Ecclesiastici humeros submisere: Clausit sanctissimam pompam ipsemet Archiepiscopus atque Elector, Pontificali splendidus ornatu, ejusque latera stipantibus octo ephebis, ingens a tergo tum domesticæ Aulæ, tum Curiæ, ac peregrinorum & prope innumera civium multitudo, in pia vota & plausus ardentium. Denique Archimysta Sacris operante, & hymno Ambrosiano solemniter decantato hic dies festivissimis modis exactus est.

§. XX.

Res Gallicæ.

Nec hoc an. magis quam antea pacatus erat Franciæ status; cum enim Quesnellistæ Episcopos, omnesque, qui Sedis Apostolicæ auctoritatem, ei-
Hist. Eccles. Tom. LXXV. K k que

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

que debitum obsequium ore & calami
 contra eorum errores propugnabant,
 pari cum ipsis forte haberi, illorum
 que scripta palam proscribi cernerent,
 inde audaciores effecti, quicquid pro-
 cacitas dictabat in vulgus sparsere: le-
 ter plures alios ex hac secta quidam
 librum edidit, cui titulus: *Historia*
juris publico - Ecclesiastico - Gallici. In
 eo Auctor supremam Pontificis aucto-
 ritate omnium, quo poterat modo,
 evertere nifus, statuebat, ne minimam
 quidem jurisdictionem eidem extra
 suam Diocesin competere, nec plurius
 esse, quam Ecclesiæ Primatem, & si
 majorem sibi arrogaret auctoritatem,
 id nil nisi meram esse usurpationem, ob-
 stetricante spuriarum Decretalium Lu-
 cina natam, & ignorantia sæculo ad-
 ultam &c. Enimvero Delcius Aposto-
 licus in Francia Nuntius ex mandato
 summi Pontificis apud Regem vehe-
 menter desuper querebatur, postulans,
 ut impius hic liber carnificis manu in-
 famibus addiceretur flammis, ejusque
 Auctor ad terrorem aliorum severe
 plecteretur: ast complicum veritatem
 actum, ut non modo Nuntii postulata
 surdis auribus exciperentur, sed etiam
 e contrario Historia Constitutionis *Uni-*
genitus, quam Petrus Franciscus La-
 fiteau Sistaricensis Episcopus ediderat,
 Regil

Regii Senatus decreto proscriberetur. Sæc. XVIII.
Non deerant tamen ex Franciæ Præsu- A. C. 1737.
libus, qui indignis ejusmodi suorum
oppressionibus minime territi, verita-
tem defendere, & læsam Episcopalis
ordinis auctoritatem vindicare strenue
adlaborarent: Hos inter eminuit Ste-
phanus Josephus de la Fare Par Fran-
ciæ & Laudanensis Episcopus, qui edi-
ta epistola palam declarabat, Episco-
porum jura, commissi Sacri depositi
custodiam, & oppugnatam fidei veri-
tatem palam defendere, ne Regiis
quidem decretis prohiberi posse, Ec-
clesiam suis in rebus a laica potesta-
te minime dependere, minus vero lai-
co Tribunali competere dogmatica Epi-
scoporum & supremorum Ecclesiæ Pa-
storum scripta dijudicandi auctoritatem:
Fleuryum Cardinalem sui muneris par-
tibus, & fidei datæ deesse, si ve-
xationibus in veros Catholicos inten-
tatis finem, cum facile posset, impo-
nere negligeret, has insectationes haud
absimiles esse rabido cani, qui sine dis-
crimine, quos obvios habet, dilacerat,
ejusmodi pestem esse fugiendam, at-
que ex humana societate eliminandam:
Parlamentum auctoritatis suæ fines
longius excedere, ac præcipue illud
Normanniæ cæco furore in veritatis
vindices debacchari. His fusius ex-
positis

K k 2

Sæc. XVIII
A. C. 1737.

positis Præsul intrepide declarabat se solum Deum, non vero hominum judicia ac vindictas vereri, nilque audentius exoptare nisi ut veritatis Martyr Sanguinem suum profundere possit & si omnium hostium tela in ipsum solum collimarent, se recti conscientium Romæ afflictorum Patrem, & apertum veritatis oppressæ asylum facile reperiturum, se nec canem mutum nec edentulum fore, etsi integram decretorum nubem ac procellam sibi a Parlamento & status Consilio in caput suum accerferet &c. Denique idem Episcopus instructionem Pastoralem edidit qua inhibuit, ne Confessarii absolvent eos, qui Bullam *Unigenitus* non recipiunt, aut scripta contra illam retinent, illos vero Sacerdotes ipso facto suspensos declaravit, qui Canonem Missæ non recitant voce demissa & secreta. Pariter & Episcopus Aquis Augustis Bullæ Adversantibus Sacramenta & S. Sepulturam negavit. Ceterum in hac epistola Episcopus Laudanensis a debitæ moderationis legibus nonnulla recessisse, ab ipso Papæ Nuntio arguebatur; magis tamen iniquo animo hinc Præsulis intemperiem terebat Reges Senatus, qui die decima octava Decembris promulgato edito hanc promulgavit scripsit epistolam, eo quod omnium con-

convitiarum, ac injuriosarum declarationum synopsin contineret, & opiniones pluribus edictis proscriptas defenderet, eaque suprema potestas Regi omni jure debita contumeliose in dubium vocaretur &c. Præterea aliud ejusdem Episcopi mandatum jam ante sexennium suppressum, cum iterato prælo fuisset excusum, die quinta Maij edito Regii Senatus edicto rursus proscriptum, præceptumque est, ut omnia novæ hujus editionis exempla ad Regiam status Cancellariam deferrentur. Ita Regii Senatus Patres in Episcopos excanduerunt, qui tamen in refractarios oppido benigni duos pertinaciter Appellantes post sexennem carcerem, seu potius rebellem contumaciam libertati restituerunt.

Magis adhuc inveterata erat Convulsionistarum pertinacia, aut verius insania, a qua nec ratione nec minis ac poenis sanari volebant; hoc siquidem anno in Parisii, spurii sui Thaumaturgi commendationem nova eaque stupenda prodigia proterve comminabantur: Inter alia quippe fingeant, quosdam a gangræna, apoplexia, lepra, paralyfi &c. prodigiose fuisse sanatos, quamprimum ex Parisii sepulcro pulverem aqua ex ejus fonte hausta commix-

Sæc. XVIII. tum per modum medicinæ sumpsissent
A. C. 1737. omni ferme die in fanatico hoc theatro
 novæ confictarum sanationum, & miraculorum scenæ aperiebantur; præcipue vero & hoc ipso anno mirabilis hæc Jansenianæ factionis Sanctus nocturnarum fenestrarum effractione (quod aliis scurris & nebulonibus familiare) se prodigiosum ostendit: Res ita contigit Die vigesima Martij popularis per urbem spargitur rumor, Ecclesiam S. Medardi, in cujus cæmeterio olim sepultus erat Parisius prodigioso motu concussam, omnes fenestras contractas & Parisii sepulcrum, uti Mechæ Mahometis tumba, in aera sublatum esse. Rei novitas prope innumeros omnis ordinis homines concitabat, ut ad hanc Ecclesiam undique cito citius confluerent, tantique miraculi testes fierent: ast una omnes non sine confusione recedebant, nihil omnino prodigiosi reperto, nisi inter miracula reponerent contracta vitra quamplurima, que tamen lapidibus ex vicinis ædibus i populo projectis fuisse comminuta, paulopost facta inquisitione deprehensum fuit.

Non minus ridiculum superstitiosæ credulitatis paradigma dedit Parisiensis quidam Vitriarius, nomine Depoirier: Rem, prout ipsimet Jansenius

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

stæ in suis Novellis Ecclesiasticis referunt, nullis ambagibus memorabimus. Hic opifex in Ecclesia S. Medardi fenestras reparare iussus, in Sacello, quod Sancto Christophoro Sacrum, cujusdam fenestræ cancellos fornici commissos submovere tentat, incassum tamen, unde laboris frustrationem aucto laceratorum nisu compensare studet: dum vero totam vim admovet, accidit, ut fallente conatu fenestræ commissura violentius repulsa in Vitriarii caput impingeret. Dolore indignationem inflammante in Sacrilega hæc prorupit verba: *Hocine novum fors est Parisii miraculum?* & converso ad ejus sepulcrum vultu non sine ludibrio addidit: *Vah! egregium Sanctum, quid deest, nisi ut me insuper saltare faciat, sicut suas pupas ad saltum movere solet.* His dictis furore plenus, lapides, calcem, & quicquid obvium habuit, in Parisii sepulcrum indignabundus proiicit: absoluto demum labore hora tertia vespertina domum redit, mox autem densus lapidum, tegularum, glebæ &c. grando non modo in inferiori domus atrio, sed & in ipsa ejus officina fenestras horrenda strage iteratisque vicibus confringit, quin impetentium manus tum deprehendi possent: Hic successus in religionem venit Vitriario, qui suum Parisii

K k 4

con-

Sæc. XVIII. contemptum ab ejus affectis vindicari
 A.C. 1737. animadvertens, furore percitus exclamavit: *omnes mee fenestræ sunt conquassatæ, devastata domus, Proh! quam tale negotium mihi facessivi cum hoc Sancto lurcone.*

Hujus facti novitas Parisinos quidem omnes, at in diversum affectum cinati, cum apertissimam factæ illudinis vindictam crederent, sancto quasi horrore percussi, pœnas pares ex factis paribus metuebant, alte jactata Thaumaturgi hujus potentia. Saniores e contrario horum fatuitatem sibilis & cahinnis explodebant, eorumque malitiam, dolosamque pertinaciam detestabantur: demum de fraude & Convulsionistarum impostura prudentum nemo dubitabat: quocirca Parisiæ Urbis Prætor in doli architectos sedulo inquiri jussit,prehenditque, quosdam sub Ecclesiæ fornicibus aliisque locis Vitriarii ædibus vicinis delituisse, & lapidum grandine hanc fenestram intulisse. Igitur publico proclamate omnes & singulos, quibus hujus tumultus Auctores, conscii, participes aut fautores essent noti, hortatus est, ut eos apud Curiam manifestarent; inde factum, ut quidam constituto præmio pellecti supersticiosos hosce fraudum machi-

machinatores proderent, hique cum Sæc. XVIII.
 aliis Convulsionistis in carceres detrusi, A. C. 1737.
 longaque inedia cruciati, crassis eorum
 humoribus mirifice attenuatis a suo delirio tandem ad sanitatem redirent; ex his die septima Septembris hoc anno duodecim e custodia dimissi a suis convulsionibus non alio, quam famis remedio sanati fuere, quamvis non deessent adhuc alii, qui suis deliriis immortui ridicula commenta pro invictis veritatibus, & naturales eventus pro inauditis prodigiis, prævalente superstitione, venditarent.

Nil tamen luculentius corruptæ phantasiæ, ac fanatici vim prodidit quam quod Parisi Abbatis Frater Hieronymus Nicolaus, qui hoc anno die decima quinta Augusti mortuus ac in Ecclesia ad S. Gervasium sepultus erat, pariter miracula patrare crederetur, ac si ipse hæreditariæ successionis privilegio insanix monstra parturiendi artem didicisset: Ita populus turmatim ad recens defuncti sepulcrum accurrit, & quasi contentiosa æmulatione novum hunc sanctum Seniore Thaumaturgo in virtute sanandi præstantiorem esse crederet, caro pretio minimas vestium, quibus usus erat, lacinias, & pauxillum pulveris ex ejus sepulcro abradi vinti

Sæc. XVIII
A. C. 1737.

ginti quatuor solidis emit. Aperiebantur ergo Parisiis duo simul theatra, in quibus ludicra histrionum spectacula & gettulationes singulis ferme diebus exhibebantur, necesse igitur erat, ut ad vitandam altercationem duo pariter separata erigerentur altaria, super quibus Convulsionistæ suo quisque Parilolitant. Præcipuum erat in ædibus Marchionissæ de Vieuxpont, in suburbio S. Germani sitis, ubi enthusiastæ abrepti Sacros, si superis placet, conventus habebant. Ast dies vigesima secunda Novembris hisce fanaticis oppido fatalis fluxerat; comperto enim insuperhabito interdicto frequentem virorum mulierumque conventum ibidem haberi. Hæraultus Parisinæ Urbis Prætor Regnardo in mandatis dedit, ut congregatos dissiparet, & unanimes captos abduceret. Hic ergo cum militum satellitumque manu ad ædes accurrit, & Marchionissæ cubiculum ingressus, demandatum sibi negotium manifestat: Illa vero ædes suas perlustrari, nefas esse opponit, urget & instat Regnardus, fit clamorosa utrinque altercatio, quæ ad superiores penetrabat cubile, in quo Convulsionistæ suos deblaterabant Psalmos & caritica. Horum nonnulli, audito rumore, quid rei sublit, exploraturi aures admo-

admovent, & apertis foribus accurrunt: hac opportunitate usus Regnardus, in cubiculum irrumpit, ibique triginta novem utriusque sexus homines superstitionis actibus intentos reperit, atque inter eos præcipue Abbates Puchardum, Moulinum, Guyardum & Bonyum ad S. Nicolaum de Lupara Canonicum: Horum omnium nomina Regnardus descripsit, & Heralto indicavit, cujus jussu hi quatuor Abbates, & alii quinque præter unum juvenem, & viginti annorum adolescentulam, tum convulsionibus correptos ad Bastiliæ carceres raptati sunt, ex quibus tamen potissimi fuere liberati, facta pollicitatione jurata, se haud unquam fanaticis ejusmodi conventiculis interfuturos: hi vero, qui ejusmodi præstigias aut propugnarunt, aut instruxerunt, diutius in custodia detinebantur: Nec tamen horum damno sapere ceteri, ex quibus Mense Decembris plusquam triginta duo unacum Aroues de Voltaire reddituum Exactore in ergastulis suæ dementiæ pœnas lueri coacti sunt, quin prodigiosis Sancti Parisii sui meritis libertatem consequi possent.

Eodem anno Cœlum Jansenianum novo Sancto augebatur mortuo Davo-
leo, quem Quesnellistæ pariter miraculis

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

lis clarum inter Cælites suos numerabant, non alio tamen ipsius merito nisi quod usque ad extremum vitæ suæ halitum Apostolicis decretis pertinaciter restitisset, & Parisii Abbatis eminentius cultor fuisset: Nihilominus quamprimum hic impostor ad Patres suos abierat, confestim Appellantes & Convulsionarii ad ejus ædes turmatim abvolant, vestes ejus in frustra discerpunt, & velut sacrosanctas reliquias singulari fiduciæ affectu secum asportant: demum intra paucos dies abusus & superstitionis eo processit, ut sepulcri locum claudere & regio Sigillo firmare necesse fuerit, ne fanatici terram inde reverentia pietate abraderent, novosque tumultus concitarent.

§. XXI.

Literarum incrementa tam in Gallia, quam alibi.

Inter densas errorum, ac superstitionum nebulas hoc anno literarum amor luculentius ubique, atque in ipsa etiam Francia emicare videbatur. Id id haud parum contulerat Cardinalis Fleuryus, insignis Eruditorum Factor, qui Ludovicum XV. Regem alacriter erga scientias proclivem urgebat,

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

ad accendendum literarum ardorem ne
 cessaria librorum subsidia juventuti Gal-
 licæ subministraret: eoquod pro au-
 gendo Divini Nominis cultu, Religio-
 nis incremento, animarum salute, Reg-
 ni utilitate, ac extirpanda sectarum
 peste nec tutius nec fortius remedium
 afferri posset, quam si ubique Viri do-
 cti enutrientur, qui sana, solidaque
 doctrina imbuti populos Catholicam
 disciplinam docerent, & sibimet pro-
 desse, ac ceteros in vera fide, & debi-
 to erga Principes officio confirmare va-
 lerent, ad id vero omnino necesse esset,
 bibliothecas omni librorum genere in-
 structissimas, cunctis scientiæ cupidis
 aperire &c. Placuit Regi summopere
 Cardinalis Fleury consilium tot ratio-
 nibus suffultum: nec diu eidem defuit
 rei exequendæ occasio; obierat enim
 Colbertus Franciæ Regis Minister, qui
 locupletissimam & pretiosis Codicibus
 scriptis celebrem reliquerat bibliotheca-
 cam, Rex igitur centies mille aureis
 hæc manuscripta coemit, eaque in Re-
 giis scriniis ad Eruditorum usum repo-
 ni voluit. Ejus quoque jussu omnium
 qui in Regia & præfata Bibliotheca
 essent, Index Codicum seu repertorium
 ad publicam utilitatem conficiebatur,
 cujus primi undecim Tomi currente hoc
 anno publici juris fuere facti, hodie-
 dum

Sæc. XVIII. dum vero ob exemplarium paucitatem
 A. C. 1737. inter rarissimos libros recensentur. Hæc
 Regis liberalitas plurimum Reipublicæ
 literariæ erat proficua, & Fleury eius
 Promotori valde gloriosa; quapropter
 in gratitudinis monumentum Donche-
 tus Gallicæ Academiæ socius elegan-
 tissimum numisma cudi curavit, cu-
 jus recta frons effigiem Cardinalis, æ-
 versa Herculis columnam binis serpenti-
 bus cinctam, seu prudentiæ cum for-
 titudine connexæ symbolum, & postea
 aliam columnam palmis, & diversarum
 artium instrumentis ornatam ex-
 hibebat cum hac epigraphe: *Hic pacem
 reddidit armis.*

Gallici Regis exemplo incitatus,
 Carolus utriusque Siciliæ Rex litera-
 rum incremento intentus copiosissimum
 librorum apparatus, quem Parmæ
 Duces maximo labore & pretio colle-
 gerant, Neapolitanæ universitati dono
 dedit, præcepitque, ut hæc Bibliotheca
 tribus in quavis hebdomada diebus
 ad cujusvis eruditi usum aperiretur:
 pro his etiam libris quarto post anno
 Scrinia admodum pretiosa in Regiæ
 Palatio recens erecta & celebri type-
 graphia instructa fuere. Nec deerant
 in Germania, fœcunda artium Matre &
 antiqua scientiarum sede, qui familie

ri suo in severiores disciplinas studio Sæc. XVIII.
 rei literariæ commoda per publicas A. C. 1737.
 Bibliothecas hoc anno promoveri ad-
 laborarent: Inter hos æterna memoria
 digni sunt Illustrissimi Domini liberi
 Barones de Dalberg Wormatienses
 Camerarii, qui pretiosam septem mil-
 lium voluminum suppellectilem a
 suis Majoribus collectam possederant.
 Hujus Bibliothecæ instruendæ curam
 gesserat Oliverius Legipontius, insigne
 Benedictinæ Familiæ decus, ad S.
 Martinum Cœnobita Coloniensis, qui
 Illustrissimis hisce Viris auctor existit
 obtinuitque, ut eorum Bibliotheca ad
 cœmunem doctorum utilitatem publica
 fieret, & velut primum lucupletioris
 fundamentum esset. Eo fine Mogun-
 tiæ literis Joannis Franckenbergi hoc
 anno excudi fecit dissertationem, cui
 titulus: *Discursus Paræneticus ad æquos
 bonarum artium Æstimatores, pro Bib-
 liotheca publica & Societate Eruditorum in
 primaria Germaniæ Metropoli Urbe Mo-
 gutina feliciter erigenda, promovenda &
 stabilienda.* Hujus instituti utilitatem,
 ejusque exequendi modos quam pluri-
 mos, eosque faciles doctissimus hic Vir
 in hac sua lucubratione detegere, &
 Principes, Nobiles, atque Magistra-
 tus ad tam salubre opus animare cona-
 batur, nec abs re; cum enim pauci
 sint,

Sæc. XVIII. sint, quibus vel Principum favor, vel
 A. C. 1737. officii dignitas aut temporis opportu-
 nitas concedit, ut in arcana Princi-
 pum scrinia, Archiva clausasque Biblio-
 thecas pedem inferre, ea lustrare,
 indeque proficere possint, accidit, ut
 potissimis deficiente, quæ calva est,
 tam propitia occasione, arcana verita-
 tis testimonia, authentica doctrinae
 monumenta, ac venerandæ antiquita-
 tis gemmæ per plurima sæcula Orbi li-
 terario incognitæ inque tenebris sepal-
 tæ jacuerint. Quid ergo utilis, ho-
 nestiusque, quam ut reconditi in the-
 sauri in præcipuis saltem Urbibus ad
 publicum rei literariæ commodum aper-
 riantur? *Asse o Musæ, o Pallas! quid
 enim nisi vota supersunt.*

Ceterum hæc literatorum vota
 apud suos plene adimplevit Carolus
 Wilhelmus Dux Onoldinus qui novam
 publicamque erexit dotavitque Biblio-
 thecam a suo Patre jamjam inceptam
 & Heilbrunensem Principum scholam
 Onoldino Gymnasio Illustri Carolino
 conjunxit: pariter Hamburgi Joannes
 Christophorus Wolff pretiosissimam
 suam Bibliothecam ad communem pub-
 licumque Eruditorum usum Hambur-
 gensi Urbi dono dedit: Constat illa præ-
 ter septingenta Theologicarum dispu-
 tationum

tionum volumina, viginti quatuor mil-
libus librorum, inter quos quampluri-
mi sunt hebraico, Arabico, Turcico,
Persico, & Russico idioma scripti.
Præterea Leopoldus Antonius Baro de
Firmian Salisburgensis Archiepiscopus
ac S. R. I. Princeps ad perenne Nobil-
lis juventutis commodum hoc anno
Collegium erexit dictum Josepho-Carol-
inum, quod pietatis Christianæ simul
ac scientiarum Seminarium esset, in
eoque Nobiles, alique honesti Juve-
nes bonis præcipue moribus, virtuti-
bus, & diversis artium liberalium sci-
entiis & disciplinis, necnon peregrinis
idiomatibus ac Nobilium exercitiis præ-
be instituerentur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Denique in procurandis scientiarum
subsidiis præ ceteris eminuit Clemens
Pontifex semper Maximus, liberalissi-
mus ac munificentissimus; quippe in
Vaticanam Bibliothecam, quam novo
ædificio, armariis pluteisque amplia-
verat, insuper contulit quam plurima
majoris molis vasa Etrusca, varia ma-
gno pretio coempta antiqua numisma-
ta, maximi, ut vocant, moduli, nu-
mero trecenta & duodetriginta, quæ
Græciæ & Africæ Regum, Romano-
rumque Cæsarum effigies exprimebant:
Collegerat ea privato olim studio Ale-
xander

Hist. Eccles. Tom. LXXV. L1

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

xander Cardinalis Albanus, Rodol-
phinus vero Venetus patria Cortonen-
sis illa eruditis commentariis illustrave-
rat: quam sollicite autem Papa rara
hæc antiquitatis cimella, & perpetua
Pontificii erga literas, ac disciplinas
amoris monumenta in posterorum mi-
litem diligentius custodiri curant,
inde patet, quod tertio post anno
hujus sæculi trigesimo nono Constitu-
tionem Sixti V. Pontificis de non ex-
trahendis libris, aliisque pretiosis con-
firmavit novaque decreta hanc in rem
ediderit.

Sub idem tempus Clemens Bona-
niæ Bibliothecam construxit amplifi-
mam, eidemque decem aureorum mil-
libus, quæ Senatui superioribus annis
mutuo dederat, assignatis, speculam
instrumentis astronomicis miro artifi-
cio Londini confectis ditavit: cujus li-
beralitati ut perennis esset memoria,
Senatus in majori Academix Aula
Pontificis effigiem anno 1758. poni cu-
ravit.

§. XXII.

*Clementis XII. Papæ munificentia
in exornandis Urbis Romanæ
Ecclesiis.*

Nec minus munificum Clemens Papa Sæc. XVIII.
sefe exhibuit in reparandis, or- A. C. 1737.
nandisque Urbis Romanæ ædificiis,

præprimis enim novam Latraunensis Basilicæ faciem tanta magnificentia ab- solvit, ut Canonici in perpetuam rei memoriam, & gratitudinis monumen- tum Benefico suo Principi statuam in Ecclesiæ porticu erigerent: Attamen Clemens a vanæ gloriæ studio adeo alienus erat, ut hanc statuam Anco- nitano Magistratui dono daret, & in ejus locum effigiem Constantini Magni Imperatoris, qui eandem Basilicam condidit, in eadem basi collocari ju- beret. Erat illa prius in Capitolio, ac olim populo Romano post relatam de Maxentio victoriam huic Imperatori erecta. Paulopost Constantinianæ Ba- silicæ aream laxare constituit; ob- stiterat Lateranense Triclinium, quod tamen demoliri, piaculum esse vi- debatur, cum inter præclara Chri- stianæ antiquitatis monumenta longe celeberrimum esset; illud enim Leo ill. anno Domini septingentesimo nonage- simo sexto magnis sumptibus extruxe- rat, cumque temporum injuria vitium fecisset, sexagesimo post anno Leo IV. Pontifex restaurandum curavit. Orna- batur tum porphyreticis ac parvis columnis, necnon marmoreo pavi- men-

Sæc. XVIII. mento simulacris distincto: viseban-
 A. C. 1737. tur insuper tres absides vermiculato
 opere pictæ, quarum prima, qua
 sola de tota ædificii mole ad hanc us-
 que diem asservata fuit, Christum re-
 præsentat, dum pacem Discipulis suis
 in cœnaculo annuntiat, qua effigie in-
 dicabatur tranquillitas Ecclesiæ redde-
 ta per extinctam a Carolo Magno scele-
 ratissimam conspirationem, quam Pas-
 chalis & Campulus adversus Leonem
 Papam conslaverant; & hinc inde cer-
 nebantur summi Pontifices Hadrianus,
 & præfatus Leo unacum Rege Caro-
 lo, quorum primus a Christo claves,
 alter a S. Petro pallium, ab utroque
 autem, nempe tam a Christo, quam
 a D. Petro Carolus vexillum accipit,
 tanquam insigne sibi delati a præfatis
 Pontificibus Romani Patritiatus hono-
 ris. Ceterum in hoc triclinio Romani
 Pontifices non modo Imperatores Ro-
 manos & Reges convivio exceperent, sed
 ipsi quoque unacum Cardinalibus pub-
 lica solemnioribus festis accumbere,
 aliaque obire munia consueverant. Jam
 vero venerandas has antiquitatis reli-
 quias omnino intactas salvasque con-
 servare, in primis curis habuit Pontifex,
 ut tamen simul aræ amplianda
 consilium exequi posset, hanc prima
 iniit rationem, ut secata absis integra
 pet

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

per pontem ligneum ad S. Laurentii fa-
cellum pedibus centum sexaginta octo
dissitum transferretur, ibique in novo
ædificio, cujus jacta jam fuerant fun-
damenta, collocaretur. At & in hoc
maxima versabatur difficultas; quippe
præter immensos pene sumptus peri-
culum erat haud leve, ne mota mole
totum Musivum dissolveretur, præ-
cipue, cum jam aliunde plurimæ essent
luxatæ tessellæ: Clemens igitur abje-
cto priori consilio, pro sua sagacitate
aliud, idque facilius, magisque expe-
ditum, securumque excogitavit. Ita-
que prius imagines ad exemplar exacte
coloribus depingi, demum tessulas re-
solvi, easque diligenter asservari jussit,
ut postea ex integro in pristinam, sta-
bilioremque formam componerentur,
insumptis huic operi duntaxat bis au-
reorum millibus.

§. XXIII.

*Josephus Renatus Cardinalis Impe-
rialis mortuus.*

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Col-
legium quatuor Cardinalium me-
ritis insignium mortem luxerat: ex his
primus erat Josephus Renatus Impe-
rialis, Majorum quidem origine Ge-
nue-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

nuensis, natus tamen in Urbe Uritana prope Francavillam inclytæ hujus Familix in Neapolis Regno feudun. Patrem habuit Michaellem Imperiali Francavillæ Principem, Matrem vero Birgittam de Grimaldis lectissimam profus Matronam, quæ Principis Monæci in Liguria litorea Soror erat. Natalis dies Josepho erat vigesima sexta Aprilis anni supra millesimum sexcentis mi quinquagesimi primi. Primævo naturæ beneficio eminuerat egregiis planetibus, memoria fideli, ingenio acri, multiplicis scientiæ capaci, indole benigna, sincera, ac liberali, & ut verbo absolvam, qua melior vix optari potuisset: Nec minor imo adhuc major erat in hoc juvene animus ad pietatem propensus, morum candor, vitæ innocentia veris solidisque virtutibus exornata. Infans adhuc erat, cum jamjam ob generis claritatem Cruce Ordinis Hierosolymitani decoraretur; adolescens vero animum appulit ad Philosophiæ & Juris prudentiæ studia, in quibus tam egregium secerat progressum, ut ex literariis certaminibus remulorum semper victor, nunquam victus recederet: Romam inde a celeberrimo Laurentio Cardinale Imperiali ejus Pro-Patruo vocatus, in Collegio Hungarico-Germanico sub magisterio pp.

PP. de Somascha studiorum cursus pro- Sæc. XVIII.
 sequebatur, non sine maxima ingenii A. C. 1737.
 sui commendatione; quocirca tam
 apud Alexandrum VII. quo sedente
 Laurentius Romanæ Urbis Gubernator
 erat, quam apud Clementem X. gra-
 tia & favore plurimum valebat, a quo
 etiam inter Præsules relatus, Came-
 ræ Apostolicæ Clericatum obtinuit. Sub
 Innocentio XI. ejusdem Cameræ The-
 saurarius Generalis dictus, pro officii
 sui munere contra quosdam Sueciæ Re-
 ginæ Domesticos sententiam pronuntia-
 re cogebatur, qua tamen sibi præfatæ
 Principis aversionem tantopere accer-
 sebat, ut etiam Pontifex, quantum-
 vis Josepho propensus, illum ad Pur-
 puram evehere cunctaretur: merito-
 rum tamen præstantia superabat alienæ
 indignationis metum, quo demum
 posthabito Imperialis nondum trigesi-
 mum nonum ætatis annum em-
 ensus, ab Alexandro VIII. inter Car-
 dinales relatus, Diaconia S. Georgii
 ad Vellum aureum, & postea Ferra-
 riensi legatione ornabatur. Sexennium
 in hoc munere posuit, atque in utilita-
 tem hujus Provinciæ plurima egit,
 pro Nobilibus adolescentibus Colle-
 gium, quod quia ex Alberti Penn-
 næ legato conflatum erat, à Penna no-
 men habet & diu clausum erat, iterum
 L 1 4 ape-

Sæc. XVIII. aperuit, & vias tam incuria, quam ve
 A. C. 1737. rustate destructas instauravit, novas
 construxit, aquas ubique stagnantes
 atque inquinatas arefecit, indeque ae
 ris salubritatem restituit, tamque de
 Ferrariensibus populis sese optime me
 ritum reddidit, ut in ejus honorem de
 grati animi monumentum Magistratus
 publice illi inscriptionem marmorea
 columnæ insculptam poneret. Præter
 rea dum Italia funesto premebatur bello,
 laboranti Provinciæ annona sat copio
 sa subvenit, ingentemque pecuniæ
 vim Communitatibus tam sacris quam
 profanis mutuo dedit, ne quid in pub
 licis hisce necessitatibus detrimenti ca
 perent: publicos quoque auxit proventus,
 populosque nonnullis vectigali
 bus exoneravit, finesque Ecclesiasticæ
 ditionis contra vicinorum Principum
 excursus immota animi fortitudine,
 & quandoque etiam, id deposcente
 te populorum incolumitate, armata vi
 servavit. Eodem tempore, quo Josephus
 hac legatione adeo strenue fungebatur,
 in ejusdem Urbis Episcopum electus fuit,
 ut qui cives suos totamque rempublicam
 summa integritate, solertia & fide Princeps
 rexit, oves quoque suas pietatis, Religionis,
 ac Divini Verbi pabulo tanquam Pastor
 vigilantissimus pasceret. Seligebatur
 quoque

quoque hujus Viri probitas atque pru-
 dentia ad tollendas dissensiones inter Sæc. XVIII.
 Carolum VI. Cæsarem & Philippum A. C. 1737.
 V. Hispaniæ Regem de Hispanica Mo-
 narchia contendentes; eo fine Medio-
 lanum anno hujus sæculi undecimo Le-
 gatus a latere a Papa decretus, hanc
 legationem non minore fidelitate, quam
 liberalitate ac magnificentia ferme re-
 gali obibat: inde vero Romam rever-
 sus, plurimis iisque dignioribus ad-
 scriptus est Congregationibus, in qui-
 bus rara suæ integritatis atque erudi-
 tionis specimina edidit: præcipue vero
 ejus impiger labor, atque assiduitas
 emicuit, dum Congregationis, quæ
 de *bano Regimine* nomen habet, Præfe-
 ctura auctus, ipsemet cujusdam Pro-
 vincix civitates & ditionis Ecclesiasti-
 cæ oppida semel in anno in feriis au-
 tumnalibus suo ære lustrabat, & ubi
 præfens adesse non poterat, nonnul-
 los præfatæ Congregationis Præsules
 eo mittebat, ut suppeditatis a se sump-
 tibus visitationem explerent, æs alie-
 num a Communitatibus contractum
 expungerent, debitores ad solvendum
 adigerent, & auctis proventibus pub-
 licis, Pauperum inopiæ consulere-
 nt, ac denique Principis ærarium ampli-
 ficarent, & si viæ, si pontes aliaque
 publica ædificia reparatione indigerent,

Sæc. XVIII. id tempestive eidem Congregationi re
 A. C. 1737. ferrent. Præterea Josephus præfate
 Congregationis jurisdictionem aucto-
 dum Bullam Clementis VIII. de bono
 Regimine confirmaret, atque a Cleme-
 te XII. extendi curaret. Hanc in res
 ipsemet leges ad bonum regimen aptas
 & ad Ecclesiasticæ ditionis administra-
 tionem spectantes in unum codicem
 contraxit, & Andreæ Advocati Vec-
 chi opera usus, publici juris fecit: Ce-
 terum merita, quæ dignissimus ac ma-
 ximæ experientiæ Cardinalis in hoc of-
 ficio sibi comparaverat, Marius Guar-
 naci in sua Historia Pontificum tom.
 I. p. 362. his verbis complexus est.
 „Dominii hinc Ecclesiastici moderatior
 „pene universalis, maximam in quo-
 „libet Pontificatu publicarum rerum
 „administrationis sibi partem attribuit.
 „Pontificibus libere, ac palam, loque-
 „batur. Erat Justitiæ vindex, propositi te-
 „nax. Imperia, & Magistratus appe-
 „tebat, adeptos non deponebat; lau-
 „dem ex iis non lucrum quærens: ig-
 „navosque eos vocitabat, & gloriæ
 „contemptores, qui dignitatum mole-
 „stias refugerent, ut otiosam, atque
 „imbellem agerent vitam. Patiens
 „laboris, Pauperum solator, bonorum
 „fautor; eos vero, quos in sui cliente-
 „lam, vel patrociniū recipiebat, non
 „nil

„nisi probos, omnique virtute prædi- Sæc. XVIII.
„tos esse patiebatur. Hinc quatuor, A. C. 1737.
„quos habuit Assessores, sociosque stu-
„diorum, maximis eos decoratos vidi-
„mus dignitatibus; quorum duo ad
„Cardinalatum eVecti sunt, nempe Ra-
„phael Cosmus de Hieronymis, &
„Franciscus Landi Archiepiscopus Be-
„neventanus; alii vero duo Episcopa-
„li dignitate aucti fuerunt, nempe Phi-
„lipus a Turre postea Episcopus Had-
„riensis, & Nicolaus Recchi, qui Pa-
„triæ suæ Ripæ Transonæ Episcopatu
„admotus fuit.

Attamen hic Cardinalis non modo
œconomicis, sed & literariis occupa-
tionibus Zelum maxime industrium ex-
hibuit: ut vero non modo suum literis
excoleret ingenium sed & aliorum sci-
endi ardori satisfaceret, locupletissi-
mam & summe magnificam extruxit
Bibliothecam, quam Viris eruditione
præstantibus, in quos munificentia ge-
nus omne profudit, semper patere vol-
uit, ac ipsemet in ea integras absump-
sit dies ab Ecclesiæ curis vacuas, quas
tamen paucas habebat, quippe omni-
bus ferme Congregationibus Romanæ
Curia adscriptus, illis tanta assiduita-
te, tamque invicta laboris patientia in-
terfuit, ut Cardinalis vita irreprehen-
sibilis, otii nescius, & omni hora ope-
rosus

Sæc. XVII. rosus haberetur. Renuntiabatur info
 A. C. 1737. per Præfectus Congregationis super
 disciplina regulari, Protector totius Or
 dinis Augustiniani, Congregationis
 Monasticæ Virginianæ, Academia
 Ecclesiasticæ, Collegii Apostolici Sa
 cerdotum, Monialium poenitentium,
 Collegii Hungarico-Germanici, ac de
 nique Equestris Ordinis Melitenfium
 & Regni Neapolitani: Præfens quo
 que aderat Sacris comitiis, in quibus
 si meritorum suffragia inspicias, nemo
 alius Pontificia decoratus fuisset dig
 nitate; ob stare tamen videbatur vitium
 ætatis; tum enim non nisi quadragesi
 mum nonum vitæ suæ annum attige
 rat: mortuo autem Carolo II. Hispan
 iarum Rege, prævaluerunt Gallicæ
 ac Hispanæ partis Cardinales, quorum
 suffragiis electus erat Clemens XI. Gal
 lis plurimum addictus, unde Imperialis
 styum erga Domum Austriacam studium
 tanta prudentia & circumspectione
 moderabatur, ut nec Cæsari suspectus
 nec Pontifici exosus fieret: caute enim
 publicis sese ingesserat negotiis, ac
 numquam a partium studio alienum
 semper monstraverat, curis litera
 riis solertius ideo intentus, ut profanis
 incumbendi occasiones tutius declina
 ret. Eo fine coempto Severolino Pa
 latio Pizzardinorum Academiam Ro
 ma

mæ fundaverat, in qua Romanam ju-
ventutem in Ecclesiæ Canonibus, ri-
tibusque probe institui, & cuius
Alumno septem aureos quovis mense
in victus & habitationis impensas ero-
gari voluit. Nec tamen literario huic
otio adeo quiete vacare poterat Cardi-
nalis, quin a Clemente XI. ad exteras
adhiberetur occupationes; cum enim
clientes beneficiarii immodicis oneri-
bus a suis Dominis gravari, vehemen-
ter quererentur, horum causam dijudi-
care jussus est Imperialis, qui collatis
inter se feudalibus libris antiquis & no-
vis subditos ultra modum vexari de-
prehendit, moxque desuper Papam
certiorem reddidit, cujus statuto Pon-
tificiorum Vasallorum potestas in sub-
ditos ad æquitatis leges revocata fuit:
Absoluto hoc negotio Pontifex Jose-
phum cum ceteris selegit, ut hanc
quæstionem discuteret: utrum Caro-
lus III. pro legitimo Hispaniarum Re-
ge habendus sit? discussis igitur hujus
ac competitoris sui Philippi V. meritis
ac juribus, Cardinalis affirmando re-
spondit, atque a Papa Legatus a La-
tere Mediolanum, ut Carolum in Ger-
maniam reversum exciperet, missus ei-
dem S. Clementis exuvias, necnon
Sacri Ligni particulam auro gemmis-
que distinctam dono dedit: Hoc tamen
obses

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Sæc. XVIII. obsequio in Hispanorum odia offendit
 A. C. 1737. nesque tam infeliciter irruit, ut Cardi-
 nales horum partibus addicti, atque
 implacabiles, in suo Imperialem a Pon-
 tificatu excludendi studio, in omnibus
 S. comitiis latæ ab ipso sententiæ me-
 moriam refricarent: Verum Cardina-
 lis his minime commotus, demandatam
 sibi provinciam ea magnificentia
 quæ Apostolicum Legatum a latere dece-
 ret, obire statuit, ac itinere Cremonam
 usque continuato a Julio Comite
 Viscontio Cæsaris Ministro honorifice
 exceptus, Laudo-Pompejæ biduo sub-
 stitit, ut pro centum viginti famulis
 suis vestiaria tam ingressui, quam Cæsaris
 alloquio consentanea confici possent.
 Die octava Novembris ipse Rex
 Legato sexjuges equos submitte, & ad
 Romanam portam vecto unius horæ iti-
 nere obviam processit, cui Cardinalis
 curru descendens, Pontificium diploma
 tradidit, quo facto ambo cum
 splendido comitatu per præcipuas Ur-
 bis plateas ad Ecclesiam Cathedralam
 equitabant, Clericis instructo ordine
 præeuntibus. Post solemnem hunc in-
 gressum ad Regis alloquium admittitur,
 atque ab eo omnibus benevolentiae &
 honorum testificationibus cumulatus
 eodem, quo venerat, festivo comite-
 tu Urbe excessit, Romam reversurus
 Hac

Hac legatione functus, anno hujus sæ- Sæc. XVIII.
 culi decimo septimo Hiberniæ Prote- A. C. 1737.
 ctor nominabatur, qua occasione Jaco-
 bo III. Angliæ Regi officiosæ salutatio-
 nis obsequium prima vice exsolvit: Po-
 stea Sacræ Inquisitionis Romanæ Af-
 fessor Genuam a Papa decernebatur,
 Senatum eo adducere jussus, ut Albe-
 ronium Cardinalem dimitteret, Roma-
 næ Curix tradendum; eo tamen jam
 fuga elapso Pontifex præcipue Im-
 perialis opera & consilio utebatur in
 Congregationibus, quæ pro discutien-
 da ipsius causâ institutæ fuerant. Mor-
 tuo demum Clemente XI. Papa Cardi-
 nalis sacris interfuit comitiis, in qui-
 bus Cardinalis de Althan tanquam Cæ-
 sareus Orator sese Paolutii Cardinalis
 electioni opponebat, id ægerrime fe-
 rentibus Corradino & Imperiali, quo-
 rum ultimus post Innocentii XIII. obi-
 tum in conclavi saniores ex suffragato-
 ribus Purpuratis sibi faventes habebat,
 solis obsistentibus Gallis, qui Imperia-
 lem abs dubio a Franciæ Rege exclu-
 sum iri minitabantur. Electo igitur
 Benedicto XIII. Imperialis totum sese in
 Ecclesiæ utilitatem impendit, planeque
 visus est Purpuram & dignitates ideo
 gerere, ut ex eis nihil sibi nisi occasio-
 nem bene de omnibus merendi, & con-
 cordiam inter dissidentes revocandi de-
 cerpe-

Sæc. XVIII. cerperet ; si quidem arbiter adoptatus
 A. C. 1737. litem occasione hæreditatis a Cardina-
 le Salerno relictae inter ejus Affines &
 Jesuitas exortam componere , toto vi-
 rium conatu adlaborabat ; pari etiam
 studio Barberinium in gratiam Cæsaris
 reducere , & Jacobum Angliæ Regem
 cum sua Conjuge reconciliare strage-
 bat : His omnibus meritis cumulum
 & perfectionem addebat indefessum ejus
 studium , quo Sedis Apostolicæ jura
 intacta servare nitebatur ; quapropter
 immodicis privilegiis , quibus Bene-
 dictus Papa Sardinia Regem agebat
 sese cum ceteris Cardinalibus ore &
 calamo vehementer opposuit , exha-
 stumque Apostolicæ Cameræ æranum
 restaurare studuit , totusque in eo fuit,
 ut Cosciam & Bichium , quos Cardina-
 lium Collegio dedecori fore credide-
 rat , a Purpura arceret , quamvis hæc
 ipsa ejus oppositio postmodum sibi op-
 pido fatalis esset ; cum enim defuncto
 Benedicto XIII. de Imperiali in Papam
 eligendo tam impense , tamque serio
 ageretur , ut ex quadraginta duo-
 bus Purpuratis unius duntaxat Cardi-
 nalis suffragium ad Canonicam ipsius
 electionem deesset , Bentivolius Ma-
 chlonem de Monteleone Hispanum Ro-
 mæ Oratorem eo adigebat , ut nomine
 sui Regis eum a tiara exclusam decla-
 raret.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

raret, caussatus, hunc immodico er-
ga Austriacam Domum affectu ferri,
odio suo in Bichium reconciliationem
Lusitanæ cum Aula Romana præpedi-
isse, & sese Sardinæ Regis consiliis ul-
tra modum opposuisse &c. Hæc in Im-
perialis invidiam Bentivolius privatæ
magis suæque indignationi, quam se-
dis Apostolicæ commodo ac honori
consulens proposuit; nemo quidem
prudens secundis auribus nec abs-
que privatæ ultionis ac malevolentiae
suspensione hujus Cardinalis sermonem
exceptit; notum enim erat plerisque,
quod in Imperialem ceteroquin ab om-
nibus vitiis alienum vindicta exardescer-
et ob injuriam, quam Bentivolio fratri
suo propter morum pravitatem custodiæ
dato ab Imperiali tum Ferrariensi Le-
gato irrogatam fuisse autumabat: ni-
hilominus cum Bentivolius altius in-
clamaret, & palam munitaretur, se
non modo ex conclavi discessurum, sed
etiam Imperialem ab Hispaniarum Re-
ge nunquam pro Papa habendum, tan-
tum apud ceteros valebat, ut Imperia-
lis Pontificatus spe penitus excideret,
dolentibus Cardinalium potissimis, &
ipsis quoque Gallis, ac æmulis, qui Im-
perialem generis nobilitate, veneran-
dæ senectutis canitie, ingenii vigore,
scientiarum eminentia, diuturna re-

Hist. Eccles. Tom. LXXV M m rum

Sæc. XVIII. rum experientia, morum probitate,
A. C. 1737. vitæque integritate ceteris omnibus
 digniorem Pontificatu judicabant, ac
 vel ideo longe dignissimum, quia solus
 Imperialis se tanta dignitate indignis-
 simum reputabat, ac in eo unico
 felicitatis cumulum reponebat, quod
 ad ultimum usque vitæ suæ halitum
 sua sedi Apostolicæ obsequia dicere po-
 tuerit; unde ipsi etiam Clementi XII.
 tanta de ejus prona voluntate, pru-
 dentia ac moderatione existimatio, &
 fiducia, ut ejus opera ac consilio fere
 omnibus in negotiis uteretur; sic ad
 dijudicandam Cosciæ Cardinalis causam,
 ad componenda Polonæ successio-
 nis dissidia, ad restauranda commo-
 dia, aliaque sane gravissima, & maxi-
 me ardua adhibebatur Imperialis admi-
 randa in rebus agendis dexteritas ac
 solertia: His laboribus immortalis,
 ac viribus pene exhaustus, die decima
 quinta Januarii octogenarius vivere desi-
 nit sepultus in Ecclesia S. Augustini de
 Urbe. Ceterum hic Cardinalis omni
 genere virtutum ornatissimus, morum
 gratia, mentis candore, magnanimitate,
 oris dignitate ac gravitate cum
 quadam specie mansuetudinis mirifice
 conjuncta & inter publicas & aulicas
 curas ac dignitates integra semper il-
 luxit fama, & plane illææsæ ejus inno-
 centiæ

centiæ invictissimum erat argumentum quod, cum adeo multos haberet æmulos, nemo aliquis ei labem ullam de-
decoris aut vitii esset ausus impingere. Pauperum insuper inopiæ aures manus-
que semper habuit liberaliter apertas, in quos præter plurima pie legata etiam
octo aureorum millia post mortem di-
stribui jussit. Denique locupletissimam
suam Bibliothecam, cujus repertorium
Justus Fontanus confecerat, omnium
Eruditorum usui apertam esse voluit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XXIV.

Curtii Origi Cardinalis obitus.

Alter, cujus mortem Sacrum Purpu-
ratorum Collegium hoc anno de-
ploravit, erat Curtius Origus patria
Romanus, qui parentibus nobilitate
claris, Marchione Caspare, & Maria
Laura de Palumbaria die nona Martij
anno Christi millesimo sexcentesimo
sexagesimo primo natus est. Ipso na-
turæ beneficio acre & excitatum nac-
tus ingenium, nec ipse sibi ulla in re,
vel morum integritate, vel discendi ar-
dore ac diligentia defuit. Traditus in-
super erat optimis Institutoribus ad eru-
diendam juventutem præclare natis,
quorum dexteritate intra brevissimum

M m 2

tem-

Sæc. XVIII. temporis spatium non modo literarum
 A. C. 1737. rudimenta, sed & altiores disciplinas
 ad maturitatem perduxit. His probe
 imbutus, animum ad jurisprudentiam
 applicuit, quo in studio tam felices fe-
 cit progressus, ut in Romana Univer-
 sitate Doctoratus nomen & insignia
 promereretur. Sic ingenii studique
 alacritate mirificam sui expectationem
 movit, tantaque apud Innocentium
 XI. Papam gratia valuit, ut in albo
 Præsulum Romanorum & Proto-nota-
 riorum Apostolicorum referretur: Pau-
 lopost Congregationi de bono regimine
 aggregatus, inter Judices æconomico
 gubernio ditionis Ecclesiasticæ præpo-
 sitos locum obtinuit, inde Auditor Sig-
 naturæ, ut vocant, *justitiæ* renun-
 tiatus, Cameræ Apostolicæ Pro-Directo-
 rem egit. Quanta vero industria,
 quantave vastæ eruditionis commen-
 datione in difficillimis hisce muneribus
 omnes fori controversias, omnesque
 Jurisprudentiæ latebras lustraverit, lo-
 quuntur relicta ingenii sui monumenta,
 ac decisiones. His meritis clarus Vi-
 rorum sua ætate maximorum, & præ-
 cipue Corsinii Cardinalis benevolen-
 tiam sibi conciliabat, a quo etiam ad
 Pontificatum assumpto libellorum sup-
 plicum Secretarius dictus Congregatio-
 nibus Avenionensi & Lauretanæ adje-
 ctus

ctus fuit, & paulopost Congregationi, *Sæc. XVIII.*
 quæ *Sacra consulta* vocatur, a secretis *A. C. 1737.*
 esse meruit. Hæc prima erant labo-
 rum præmia, crescente autem indies
 meritorum fama ab eodem Clemente
 XI. Papa Cardinalium Collegio adscrip-
 tus est, quinto autem post anno perar-
 duam Legationem Bononiensem obire
 iustus, quinto post adventum Mense
 ex humanitatis officio non levem sibi
 accersiverat molestiam. Res ita acci-
 dit: Advenerat Taurino Bononiam
 Comes de Peterborough Angliæ Par,
 hunc Jacobus III. Angliæ Rex, quem
Prædentem vocant, in vitam & liber-
 tatem suam conspirare, suspicabatur,
 ac propterea Cardinalem Origum Sedis
 Apostolicæ Legatum sollicitabat, ut il-
 lum unacum suis famulis custodiæ dari
 juberet: Annuit nimia facilitate ejus
 votis Legatus, & die undecima Sep-
 tembris missa militum manu Comitem
 ad Urbanam arcem captum abduci,
 omnes ejus cistas sigillo muniri, ip-
 siusque famulos in publicos Urbis car-
 ceres compingi præcepit. Fit severa
 inquisitio, sedulo excutiuntur omnia
 scrinia, & chartæ, sed nec minimum
 factæ accusationis vestigium apparet:
 iterato ad examen vocatur Comes, pro-
 ponuntur eidem sex præcipua accusa-
 tionum capita, quæ tamen ipse omnia
 M m 3 tam

Sæc. XVIII. tam liquidis rationibus diluit, ut ejus
A. C. 1737. innocentia luculenter pateret: Eapropter Comes graviter de illata injuria
 questus sibi palam satisfieri postulabat, &, quod rei conditionem adhuc pejorem fecerat, ipse etiam Guilielmus
 Britannæ Magnæ Rex ejusque Parliamentum sibi met hanc contumeliam
 fuisse irrogatam reputans, additis etiam minis a summo Pontifice petiit, ut ab
 Origo Legato suo injustæ captivitatis pœnas deposceret. Actum diu ac serio de reconciliationis modo, ac tandem utrinque conventum, ut præstita
 satisfactio hac ratione fieret. Die decima quinta Octobris Cardinalis Origo
 currum suum ad Urbanam arcam mitteret, in eoque Comitem ad Urbem
 deductum decima septima ejusdem Mensis in suo Palatio magna prorsus
 pompa exciperet, ac singularibus honorum existimationisque significationibus cum
 lato, intimum cordis sui dolorem testaretur, quod præcipiti nimis consilio in
 ejus captivitatem consentisset; demum declararet, se propterea a summo Pontifice acriter reprehensum
 fuisse, sibi que gravius exprobratum, quod temerariis Prætendentis suspitionibus,
 ac iteratis ejusdem sollicitationibus sese ad hoc facinus inducere passus
 fuisset: Ipse vero Jacobus Rex suæ familie

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

familiæ Nobilem ad Comitem ablegaret, qui factum excusaret, rejecta culpa in ejus hostes, qui falsum hunc rumorem in vulgus sparsissent: Hoc deprecationis officio satis Comiti factum; ast non eadem flexibilitate Angliæ Rex, ejusque Parlamentum oblatam acceptabat satisfactionem, jamque rumor haud incertus vulgabat, in Mahunensi portu duas triremes gravioris molis tormentis pluribus instructas, & octo naves incendiarias esse paratas, ut Pontificium Urbis veteris portum injectis pilis ferreis nitrato pulvere fartis vastarent. Verum aliorum Principum opera in has tandem itum est leges, ut Pontifex ad potentem quemdam Principem Catholicum Angliæ Regi fœdere junctum literas propria manu exaratas & ab hoc Britannæ Regi exhibendas daret, simulque in illis declararet, se incio, & sine Apostolicæ Cancellariæ mandato Bononiensem Legatum eo processisse, ut per injustam vim ex male fundata, falsaque suspitione Comitem de Peterborough custodiæ dari juberet: ipse vero Origus Cardinalis Legatus, necnon Cardinalis Paoluccius Pontificii status Secretarius ad Bingium Anglicum Mediterranei maris Præfectum epistolam mitterent, in qua Origus specialiter profiteretur, se suis amicis complacendi

M m 4

studio

Sæc. XVIII. studio, ex temeraria suspicione, cuius
A. C. 1737. tamen falsitatem nunc agnosceret,
 Britanniae Magnae Parem in suo per
 Pontificias ditones transitu intercipi
 præceperit, se jamjam hunc erro
 rem coram sua Sanctitate deprecatum
 fuisse, ac etiamnum a sua Britannica
 Majestate veniam petere: Adimpletis
 hisce conditionibus fatale hoc nego
 tium penitus diremptum est, Origus
 vero per integram adhuc quadriennium
 Bononiensi Legationi non sine maxima
 nominis sui commendatione præfuit:
 Mortuo demum Clemente XI. Romæ
 in comitiis ad electionem Innocentii
 XIII. suum quoque contulit suffragium,
 a novo hoc Pontifice in Præfectum S.
 Concilii Congregationis electus. De
 mum a Benedicto XIII. qui post Inno
 centii obitum D. Petri Cathedram mo
 derabatur, maximi habitus, urgente
 Polignaco Cardinale Franciæ Legato
 duodecim Noailii Cardinalis articulos
 examinare, & Bichi Lusitani Nuntii
 causam discutere jussus est, in utro
 que autem negotio præclara suæ mo
 derationis ac prudentiæ specimina edi
 dit: Postea Romanæ Inquisitionis Con
 gregationi a secretis dicebatur, ut justitiam,
 ac fidei puritatem, quam semper
 impense coluerat, etiam exortis
 Religionis diffidiis strenue vindicaret.
 Inter.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Interfuit jam tertiis comitiis, in quibus, si ejus merita prævaluissent, abs omni controversia ad supremos Apostolatus honores evehctus fuisset: Ast Origo dignitates promeruisse, satis fuit; non enim labores propter honorem, sed honorem propter labores, quos in Ecclesiæ commodum subiret, ambiebat, quapropter a Clemente XII. neo-electo Papa gravissimis negotiis adhibitus, perarduas lites cum Lusitano & Sabauda Regibus componere, & in Cosciæ causam inquirere coactus est, ubi semper, cum mitissimæ esset indolis, benigniorem tulit sententiam: Anno autem hujus sæculi trigesimo sexto tam gravi opprimebatur morbo, ut omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, extremam vitæ horam omni ferme momento præstolaretur: convaluit equidem, mox tamen ex nimia virium debilitate morbi vehementia adeo augebatur, ut die decima octava Martij anni sequentis ætate meritisque gravis anno vitæ septuagesimo sexto naturæ concederet: sepultus est in tituli sui Ecclesia ad S. Eustachium in monumento, quod mortis memor sibi vivens posuit.

§. XXV.

Henrici de Bissy Cardinalis decessus.

M m 5

Præ-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Præful maxime venerandus, æternæ
que laude dignissimus Henricus de
Thyard de Bissy natus est in Burgun-
dia die vigesima quinta Maij anno a re-
parata salute millesimo sexcentesimo
quingentesimo septimo. Patrem ha-
buit Illustrissimum Comitem Claudium
Reriorum Ordinum Equitem auratum
& Matrem Eleonoram Angelicam de
Nucheze præclari generis, ac virtutis
Matronam. Ab his Henricus Christi-
anæ Religionis fundamenta uberrime
edoctus, quasi hæreditaria sorte tradi-
tam accepit pietatem, & eruditionis
ardorem; in prima statim ætate probita-
tis ac sagacitatis igniculi tam luculen-
ter elucebant, ut ad res præclare ge-
rendas, & magna Ecclesiæ obsequia
olim præstanda ipso naturæ beneficio
procreatus crederetur. Hac ipsa na-
turali aptitudine atque animi propen-
sione ad Ecclesiasticum statum incita-
tus, in græcis hebraicisque literis ut-
pote intrinsecis hermeneuticis subsidiis
felices optatosque progressus fecit,
moxque animum ad sacratiores disci-
plinas adjecit; unde Theologicis &
Canonicis institutis probe instructus,
Clericali militiæ nomen dedit, factus
que publico suæ doctrinæ experimentum
in Sorbona Doctoratus honores adep-
tus est. Tum vero Sacri Codicis San-
ctorum

etorumque Patrum lectioni sedulo in-
 tentus, fidei veritates adversus Secta-
 rios tueri studuit, seque in controver-
 siis tam dogmaticis quam Theologicis
 versatissimum reddidit. Hac doctrina
 Ecclesiastico Viro admodum necessaria
 spectatus, omnium oculos, amorem
 atque admirationem in se convertit:
 præcipue vero a Patre de la Chaise,
 qui Ludovico XIV. Galliarum Regi a
 confessionibus erat, maximi habitus,
 Abbas Nobiliaci dictus est, brevique
 amplioribus fulsit Ecclesiæ dignitatibus;
 anno enim Christi millesimo sexcentesi-
 mo octogesimo septimo Tullensis Epif-
 copus renuntiatur, quam Ecclesiam
 per septendecim annos non sine maxi-
 mo Apostolici Zeli elogio rexerat, fa-
 ctus forma gregis, Franciæ lumen,
 Ecclesiæ ornamentum, & Episcopalis
 Ordinis gloria, sedisque Apostolicæ
 fulcimentum: siquidem Romanæ Ec-
 clesiæ dogmata, eorumque orthodo-
 xiam, Ecclesiasticas immunitates, &
 summi Pontificis infallibilitatem ore &
 calamo tam strenue propugnabat, ut in
 gratitudinis signum, & meriti com-
 mendationem sæpius paternis summo-
 rum Pontificum literis fuerit honora-
 tus: nec remissiore affectu ipsemet
 Franciæ Rex hunc Præsulem prosequen-
 batur, a quo etiam ad Burdegalensem
 Archie-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Sæc. XVIII. Archiepiscopatum nominatus est, quam
 A. C. 1737. tamen Ecclesiam justis de causis ac-
 ceptare renuebat; ne vero Rex sum-
 amorem sine publica testificatione, &
 hujus Præfulis merita sine præmio re-
 linqueret, eum Tricensi, Fontana & S.
 Germani de Pratis Abbatiis auxit: cum
 autem Meldensis Urbs & Ecclesia, olim
 primi Hugonotici conventus sedes fuis-
 set, hique ejectis Catholicis veram in-
 dem eliminare studuissent, ad sanan-
 da tam acerba Religioni inflicta vulne-
 ra peritissimo opus erat Medico, quo-
 circa Rex mortuo percelebri Jacobo Be-
 nigno Bossuet Episcopo ad hanc Eccle-
 siam Henricum acerrimum Sæctario-
 rum profligatorem, invictumque veri-
 tatis Heroem præ ceteris nominavit:

Hac dignitate conspicuus ad debel-
 landos Jansenistarum errores amplifi-
 mum Zeli sui campum sibi aperiri, sum-
 mopere lætabatur, ac præprimis con-
 tra eos anno hujus sæculi decimo in-
 structionem edidit Pastoralem, in qua
 Ecclesiæ auctoritatem in decidendis
 factis dogmaticis egregie stabilivit, &
 P. Juenini Institutiones Theologicas
 proscripsit: non desuere tamen, qui
 Henrici lucubrationem impugnare mo-
 larentur; ipse vero eorum subterfuga
 tam anno hujus sæculi duodecimo
 quam

quam decimo sexto doctissimis observa- Sæc. XVIII.
tionibus confutavit, non sine maximo A. C. 1737.
summi Pontificis omniumque recte sen-
tientium applausu atque approbatione.
Ampliolem adhuc laudem sibi concilia-
bat, dum pro Constitutione *Unigenitus*,
quæ tantos in Gallia motus ciebat,
juratissimo studio semper stetit, ac de-
cisionis hujus Pontificiæ hostes acerri-
me infectatus, eorum erroribus tena-
cissimus fidei Catholicæ assertor sese op-
posuit. Nec id suo caruit fructu; si
enim hæc pestis in aliquibus Franciæ
Provinciis repressa fuit, certe conservatæ
puritatis felicitas maximam partem
Henrici vigilantix, ejusque solidis lu-
cubrationibus, debebatur. Hinc Lu-
dovicus XIV. Franciæ Rex egregium
hunc Pastorem, per quem publica sa-
lus staret, Sacra etiam Purpura ornan-
dum censuit, ne talis tantusque Vir, in
quo quicquid erat, splendebat, & quid-
quid in eo splenduit, virtutis fulgor
erat, ab ullo ignoraretur. Itaque ad
Regis preces inter Cardinales coopta-
tus est a Clemente XI. Papa, qui, dum
ejus inaugurationem in Consistorio ut
vocant, secreto promulgabat, ejus lau-
des his verbis complexus est: *Creare*
similiter intendimus alium Cardinalem, nem-
pe Venerabilem Fratrem Henricum de
Thyard de Bissy Episcopum Meldensem,
cujus

Sæc. XVIII *cujus eximia in Nos, in Ecclesiam uniuersam, imo & in ipsam Catholicam Religionem merita sive pro Ecclesiastica libertate tuenda, cum Tullensi Ecclesiæ præcesset, & ve pro orthodoxæ veritate doctrinæ propaganda, postquam ad Meldensem transiit, fuit, satis nobis comperta sunt, & nota. Fuit præterea Henricus plurimum Meldensi Ecclesiæ; illam siquidem plurimis ornavit monumentis, ædes Episcopales reparavit, atque ad elegantioris formam reduxit, necnon in Ecclesiæ Cathedrali Altare majus erexit, mag-nifico prorsus sumptu, pretiosisque ornamentis. Magnis quoque expensis novas aperuit scholas, largis assignatis stipendiis pro selectioribus Philosophiæ & Theologiæ studiosis. Ac denique Antecessorum suorum statuta pro restauranda Cleri sui disciplina in unum collegit librum, & novis, iisque oppido salutaribus auxit. In primis vero curis habuit, errorum Zizania in agro Dominico succrescentia penitus extirpare. Eo fine Ludovico Regi usque ad extremum vitæ halitum immote assistit, ac sedulo accessum Cardinali Nuncio Archiepiscopo ad Regem monitum præpedivit, ne ejus suasionibus Regia statuta contra Jansenistas edita forte immutarentur. Nil tamen intemisit eorum, quæ ad hunc Cardinalem*

Sacra

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Sacræ Sedi conciliandum conferre cen-
 sebat; præcipue vero cum Cardinale
 de Rohan amico suo de fancienda unio-
 ne, & componenda gravi hac contro-
 versia in consultationem venit, annuit-
 que, ut ejusdem Vicarius Generalis
 Abbas Cavalierus Romam decerneretur,
 qui de opportunis hæc dissidia tol-
 lendi mediis cum summo Pontifice age-
 ret. Postquam vero Jansenistarum op-
 positio ad eum temeritatis gradum per-
 venit, ut etiam a Papa ad generale
 Concilium, ad Lutheri imitationem pro-
 vocarent, ac re ipsa quatuor Franciæ
 Præsules appellarent, Henricus con-
 tra illos scriptum gravi rationum pon-
 dere præstantissimum elucubrabit,
 quod tamen, cum illud Regius Procu-
 rator ceu Gallicanæ Ecclesiæ libertati-
 bus adversum denuntiaret, non modo
 typis edere prohibitum, sed etiam Pa-
 risino Clero Comitibus habere vetitum,
 ne fors plura ejusmodi scripta publicis
 juris fierent. Attamen quo impellente
 hoc edictum fuerit extortum, Henri-
 cus haud ignarus, Aurelianensem Du-
 cem, qui Ludovico XV. ob ætatem re-
 giminis impare, Regnum moderaba-
 tur, questum ibat, junctaque cetero-
 rum Præsulum opera tantum effecit,
 ut Dux encyclica epistola ad omnes
 Franciæ Episcopos data declararet,
 omni

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

omni legum severitate & tota Regi
auctoritatis mole esse premendos
qui Diæcesani in Episcopalem auctori-
tatem insurgere, vel revocandæ paci-
molimina aut per appellationem sine
necessitate aut per alias præpositas
vias interturbare præsumperint, con-
ctisque in hoc casu integrum esse, ad
Regentem recurrere. Hoc Principis
edicto fretus Cardinalis Bissius, pariter
epistola ad Præsules Constitutionibus
ventes data declarabat, ex ipsius etiam
Serenissimi Regentis mente omnes ap-
pellationes omnino nullas, irritasque
& verbum: *Sine necessitate* primum a
Cancellario nequiter fuisse intrusum.
Verum Cancellarius inde graviter of-
fensus, Parlamentum Parisiense solli-
citabat, ut Cardinalis epistolam pub-
lico edicto proscriberet, quod tamen
Aurelianensis Dux præpedivit:

Nec propterea Meldense Capitulum
absterrebat, quominus Appellantibus
accedere pararet: solus Cardinalis cum
paucis velut murum æneum se eorum
conatibus opposuit, & a Regni Admi-
nistratore impetravit, ut Meldensi Cie-
ro appellandi facultas penitus interdi-
ceretur: Id vehementer pupugit No-
villium, qui tam importune Regentis
aures verberabat, ut hic mutata animi
fa-

fui sententia Regiis Secretariis inhiberet, ne deinceps editis decretis Clericos ab appellandi jure excluderent. Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

In eo tum statu erat Constitutionis negotium, cum ipsemet Cardinalis pro terminanda hac lite opportunum censeret, quod præter Constitutionem & quadraginta Episcoporum Instructionem, Noailii Cardinalis declaratio reciperetur, salva tamen fidei puritate, Ecclesiæ judicio, & sincera subjectione erga summi Pontificis decisiones. Quid vero hac in re postea actum fuerit, jam in decursu historiæ nostræ relatatum est.

Porro Cardinalis Romam delatus, Innocentii XIII. electioni interfuit, ac inde in Franciam reversus, ultro abdicata Nobiliaceensi Abbatia, Ludovici XV. Regis inaugurationi Rhemis adstitit, sequenti vero anno contra Questionistas in Pontificiæ potestatis defensionem, & Appellantium confusionem Pastoralem edidit Instructionem, qua hi impotenter exacerbati, se, etiam si anathemate percellerentur, immote tamen suæ inhæsuras appellationi declarabant. Nec his contenti, insuper Parisiense Parlamentum ipsis aliunde sat propitium instigarunt, ut in hanc Cardinalis instructionem inquirei juberet. Horum tamen machinationibus *Hist. Eccles. Tom. LXXV.* N n supe-

Sæc. XVIII. superior erat Cardinalis auctoritas;
A. C. 1737. fus enim Regem adiit, eique exposuit
 ejusmodi attentata Ecclesiæ, suæque
 dignitati summopere derogare, magis
 que exempli pravitate inducere: Ex
 propter Rex totum hoc negotium
 scuti, & in Cardinalis favorem
 contra Parlamenti ausus honorificum
 decretum promulgari, ac demum
 illud ad acta referri iussit: Nec hic
 Regius in meritissimum hunc Virum
 favor; quippe Rex illum Equestris
 Ordinis S. Spiritus insignibus donavit,
 eique Romam ad S. Comitia properant
 literas commendatitias Regiæ benemo-
 lentia testes dedit. Mirum autem
 dictu, quam singulari animi lætitia Car-
 dinalem affecerit Benedicti XIII. ele-
 ctio, & Fleury Foro-Julienfis Episco-
 pi nominatio in primum Regis Ad-
 ministrum; illius enim sanctitate, &
 hujus religione Quesnellistarum perti-
 naciam fractum iri certo sperabat: Nec
 sua eam sefellit fiducia; quippe impet-
 lente Fleuryo Franciæ Præsules Cœ-
 litationis hostibus sese constantissime
 opposuerunt, eoque sine Parisiis Præ-
 sidente Bissio Cardinale congregati in Pa-
 latio S. Germani de Pratis comitia ha-
 buere, in quibus Catholicæ veritatis
 dogmata, & præcipue articulum de
 sanctissima Eucharistia ad populi Intro-
 ctiones

tionem explicarunt, auctoritatemque Sæc. XVIII.
 Ecclesiæ Romanæ adversus quosdam A. C. 1737.
 novatores egregie vindicarunt. Eminent
 nit præ ceteris Zelus Cardinalis nostri,
 qui etiam Pontificis jura & Constitu-
 tionis æquitatem edita scriptione ac
 solidissimis rationibus demonstrabat;
 quamvis ipsa veritas tam luculenter
 patefacta Cardinali tam acerbum Jan-
 senitarum odium pareret, ut suis la-
 mentis & calumniis invictum hunc
 Franciæ Herculem triginta leucis a
 Parisina urbe extorrem fieri procura-
 rent: brevi tamen detecta malevolo-
 rum nequitia Cardinalis victor inter fe-
 stivas proborum acclamations Parisios
 revocatus est. Paulopost idem fatum,
 eodemque successu tulit, quin propte-
 rea devios in viam veritatis reducere,
 & diuturna hæc, quibus Gallicana
 scindebatur Ecclesia, dissidia compone-
 re cessaret; eo fine frequens ipsi cum
 Rohanio & Polignaco consultatio, &
 de celebranda Synodo Nationali cum
 Rege colloquium, cujus tamen non
 alius erat fructus, nisi gloriosi conatus
 meritum, & benigionis fortunæ spes.
 Demum Cardinalis Biffius laborum as-
 siduitate fractus, ac lento corporis lan-
 guore tabescens, vitæ suæ finem appro-
 pinquare præsentiebat, quocirca sepo-
 sitis omnibus aliis curis, unice de Deo,
 N n 2 &

Sæc. XVIII, & animæ suæ salute sollicitus, post
A. C. 1737. quam suprema morientium præsidia non
 minori pietatis sensu, quam intrepidi
 animi fortitudine receperat, animam
 Parisiis in Abbatia S. Germani exha-
 labat die vigesima sexta Julii anno
 ætatis octogesimo primo nondum ex-
 pleto. Corpus ejus ad Cathedralen
 Ecclesiam translatum tertio post die
 tumulatum est in Crypta, quam ipse
 vivens pro humanis Meldensibus Epi-
 scopis construi curavit.

Cæterum Princeps erat Religionis
 Zelo, morum probitate, ac eruditio-
 nis ubertate suo ævo celebratissimus.
 Historiam quoque Ecclesiæ Meldensis,
 quam P. Tuffand du Plessis Monacho
 Benedictino Congregationis S. Mauri
 conscribendam demandavit, suis sum-
 ptibus & cura anno hujus sæculi trige-
 simo primo evulgavit: Parochiales
 etiam suæ Diœcesis Ecclesias proprio
 ære instauravit, auxitque, pluraque
 alia memoratu dignissima, in Divini
 cultus incrementum, Ecclesiæ præ-
 dium, & ad sui nominis immortalita-
 tem gessit.

Porro in hujus Purpurati exequiis
 perelegantem orationem funebrem in
 Meldensi Cathedrali die quinta Decem-
 bris habuit Abbas Seguyus ejusdem
 Eccle-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Ecclesiæ Canonicus, qui in hæc verba: Machab. II. c. 15. v. 12. *Erat huiusmodi visus: Onjam, qui fuerat summus Sacerdos, Virum bonum & benignum verecundum visu, modestum moribus & eloquio decorum &c.* Sermonem suum partitus ostendit, hunc Cardinalem I. præclarum bonitatis & Evangelicæ humilitatis exemplum exstitisse in medio maximarum dignitatum, quibus in Ecclesia fulsit. II. Consummatam fuisse normam Zeli & Apostolicæ sollicitudinis in gravissimis ministeriis, quæ propter Religionem obibat: Zelus vere Episcopalis indidit ardorem omnes explendi partes, quas suæ Ecclesiæ particulari debebat, ejus quoque Zelus universalis ipsum adegit, ut suas curas in universam Ecclesiam extenderet, & ejus Zelus potentissimus ipsum adjuvit, ut cuncta potenter & feliciter exequeretur &c.

§. XXVI.

Antonii Felicis Zondadarii Cardinalis extrema.

Vitam ac lucem Antonio Felici Zondario Senensis dedit Civitas anno prioris sæculi sexagesimo quinto die decima tertia Decembris. Habuit is

N n 3 Pat-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737

Patrem Ananum, & Matrem Agne-
 tam Chisiam Alexandri VII. Pape
 Neptin Nobilissima ejus Familia, que
 pluribus abhinc sæculis, opibus, præ-
 clarisque fulget affinitatibus, longè
 maximum accepit incrementum ex ip-
 sius Antonii meritis. Prima illustrium
 Parentum cura erat, ut hunc Filium
 suum, in quo haud obscura excellen-
 tiæ & ad sapientiam apti ingenii signa
 prehenderant, in Christianæ pietatis
 officiis, & primis studiorum rudi-
 mentis gnaviter instituerent: Igitur his
 fundamentis tam solide positis, ex con-
 silio Amicorum imberbis adhuc Romam
 mittitur, curæ ac disciplinæ Avunculi
 sui Fleurii Cardinalis Chisii committitur.
 Eo promovente severiores hausit scien-
 tias, Philosophiam, Theologiam, &
 Jurisprudentiæ præcepta. Dignus itaque
 præ aliis visus est, ut ejus Avun-
 culus Abbatiam S. Lanfranci eidem ce-
 deret, & Innocentius XII. illum inter
 Præsules Romanæ Curie referret, nec
 non Congregationi Fabricæ Vaticanæ
 aggregaret, ac demum Bononiensem
 nominaret Pro-Legatum. Inde Anto-
 nius in Congregationem Sacræ Con-
 sultationis translatus inter Præsules il-
 los adscribebatur, qui *Ponentes* eo in
 Tribunali vocantur. Demum vero Be-
 conitanæ Urbis Gubernator renunciavit.

tus est. His muneribus cum summa Sæc. XVIII.
 integritate perfunctus, ad clariora Apo- A. C. 1737.
 stolicæ fedis officia a Pontifice vocaba-
 tur, præprimis ergo Archiepiscopus
 Damascenus dicitur, ac Nuntius Apo-
 stolicus eligitur, ut Romam venientem
 Joannis III. Sobieskii Poloniæ Regis
 viduam Mariam Casimiram Ludovi-
 cam in finibus status Pontificii officio-
 sa salutatione exciperet. Tunc enim-
 vero Pontificiam Majestatem Regiæ
 Hospitis obsequio mirifice attempera-
 bat. Paulopost Hispana Nuntiatura
 Virum reposcebat, in quo fides sum-
 ma cum comprobata rerum publicarum
 experientia, & Principum animos re-
 conciliandi dexteritate una concurre-
 ret: hinc non in alium, quam in Zon-
 dadium Clemens XI. oculos & con-
 silia conjecit, cui etiam negotium de-
 dit, ut Philippum V. Hispaniarum Re-
 gem ad pacem cum Josepho I. Impera-
 tore ineundam inclinare niteretur. Er-
 go anno hujus Sæculi secundo, cum
 honorifico comitatu instructam navim
 conscendit, secundisque primo ventis
 in altum procurrit, ast repente in na-
 vis exitium conjurans furentium Au-
 strorum violentia exiguam Antonio fa-
 lutis fiduciam reliquit, quippe navi-
 gium per plures horas lancipiti pror-
 fus fide ab anchoris pendens fluctua-
 bat,

Sæc. XVIII. bat, tandem vero ventis aliquantulum
 A. C. 1737. secura pace compositis, velorum re-
 morumque connisu Nuntius periculum
 eluctatus, Calaris Portum attigit, &
 navigatione feliciter promota Madritum
 pervenit. Ibidem obtenta mox alle-
 quii copia a Philippo V. Rege omnibus
 singularis benevolentiae signis excipi-
 tur, illumque etiam in castris sequitur.
 Adstitit quoque Regi illa ipsa die, qua
 apud Nuceriam in agro Mantuano pug-
 natum est. Regem præterea comita-
 batur tribus sequentibus annis, quibus
 in Extremadura aliisque Hispaniae Pro-
 vinciiis bellum gerebatur. Cum autem
 Antonius in rei summa parum profice-
 re posset, Romam reversus est; post-
 quam vero anno Christi millesimo septu-
 tingentesimo sexto Franciscus Aquavi-
 va ad Purpuram promotus erat, eidem
 in munere Nuntii Ordinarii Regnorum
 Hispaniae suffectus est. Ubi per inte-
 grum biennium & amplius Regis gra-
 tia ac singularis favor prorsus inviola-
 tus steterat: interfuit quoque omnibus
 eo tempore institutis solemnitatibus,
 liberum insuper, quandocunque pla-
 cuit, habuit accessum ad Regem, nil-
 que fortunæ tam propitiæ deesse vide-
 batur, quam felicitatis constantia. Cum
 enim ob jus succedendi in Hispaniæ
 Monarchiam, adhuc bellum serveret, Pon-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Pontifex, ut a Germano milite vehementer pressus graviores belli calamitates a ditione Ecclesiastica amoveret, inscio Hispano fœdus cum Josepho I. Imperatore iniit hancque legem adiecit, ut sedes Apostolica Carolum III. Hispaniæ Regem agnosceret. Inde ergo orta erat Hispani Regis aversio a Pontificis Nuntio. Enimvero Clemens initi hujus consilii rationes æquitatemque anno hujus sæculi nono die decima quarta Octobris in Consistorio Purpuratorum Collegio aperuit, habitaque oratione, in qua Caroli III obsequio filiali in sacram sedem amplissime de prædicato hæc addidit: *Idcirco quemadmodum illum Hispaniarum Regis Catholici titulo nuncupare constituimus, ita ei, quoad ditiones, quas tenet, seu forsan ipsum de cetero tenere contigerit, jurium illi annexorum usum minime in posterum denegabimus. Ut tamen hæc omnia rite ac recte, & sine alterius cujusquam injuria, aut præjudicio a Nobis peragi notum sit, scire vos volumus, nos hac in re normam omnino sequi Constitutionis sel. rec. Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editæ, qua cautum fuit, quod si quem summus Pontifex sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate*

N n 5

nitate

Sæc. XVIII. nitate illa ipsum approbare non intelligatur
 A. C. 1737. aut quidquam ei tribuere novi juris. Hanc
 itaque Constitutionem, quam ut probe no-
 stis, non absimilium contentionum occu-
 ne, etiam rec. mem. Pius II. Joann
 XXII. & Sixtus IV. Romani Pontifices
 pariter Prædecessores nostri approbaverunt,
 & innovarunt, nos eorundem Prædecesso-
 rum nostrorum exemplis adducti, illis
 expresse inhærentes, similiter approbavimus
 & innovamus; ut ita non minus quæ
 que nostra, quam aliena, ac præsertim an-
 torum de Hispanica successione controver-
 tium, quæ vere nullatenus cognovimus,
 aut discussimus jura, æqualiter salva, &
 illæsa remaneant: Nos vero nec ad dex-
 tram, neque ad sinistram declinantes, ad
 quem semper secuti fuimus, Apostolica se-
 dis more minime recedemus.

Quamprimum hunc pacis tracta-
 tum Nuntius Philippo jussu Pontificis
 manifestaverat, mox tota Regiæ in-
 dignationis moles in ejus cervicem in-
 cubuit, hic quidem, ut iratum Regem
 placaret, validas rationes, & extre-
 mam, quæ Cæsarem ad id compulset,
 necessitatem exposuit, & pro eximia
 sua prudentia nullam plane viam inter-
 tatam reliquit, ut Regem de perpetua
 ac immobili Pontificis in eum affectu cer-
 tiorem redderet, & luculenter demon-
 straret.

straret, Pontificem omnibus auxiliis Sæc. XVIII.
destitutum, a cunctis derelictum, a A. C. 1737.

Germanis undique cinctum oppressum-
que, ac resistendo imparem ultimum
sue ditionis excidium, non alia via,
quam in itæ pacis necessitate effugere
potuisse &c. Hanc ipsam agendi ratio-
nem insuper vindicabat datis literis ad
Amelotum Franciæ Regis Oratorem,
nec non ad Medinæ-Sidonix Ducem,
& Principem Ursiniam, quæ tum ma-
ximam in rebus publicis partem habe-
bat: Ast incassum omnia, & ut verbo
dicam, Nuntius primo Aula excedere,
& paulo post Regio decreto intra qua-
tuor ac viginti horarum spatium Ma-
drito, & denique toto Regno abire ju-
betur: Clauditur Nuntiaturæ Curia,
auferuntur omnia Nuntii scripta, Re-
gisque mandatum die decima Aprilis
executioni datur: Et quidem hoc
modo submittebatur Regius currus, in
quo ad Nuntii sinistram Caspar Giron-
arcis Præfectus, & retro Abbas Zon-
dadarius Nuntii Frater sedebant: no-
biliores Famulis in alia Rheda se-
quentibus; inferiores demum postæ
curribus vehebantur, quos viginti præ-
toriani milites utrinque stipabant, &
Baionam usque ad Franciæ fines comi-
tabantur: Ita Vir vitæ integritate, &
innocentia tutus, inter infiniti prope-
modum

Sæc. XVIII. modum populi & sibilos & lamenta
 A.C. 1737. prout varii erant affectus, Hispaniarum
 reliquit, qui nullam aliam culpam in
 se agnoscebat, præter temporis fati-
 rumque iniquitatem.

Porro Avenionem delatus, a Cle-
 mente XI. ut sibi in hac legatione pla-
 ne satisfactum luculenter testaretur,
 Sacra Purpura decoratus est, pluri-
 busque etiam Congregationibus adlec-
 ptus residuos vitæ dies Romæ transe-
 git, nunquam otiosus, sed semper ad
 Ecclesiæ obsequia intentus. Interfuit
 quoque comitiis Innocentii XIII. Bene-
 dicti XIII. & Clementis XII. qui omnes
 Pontifices in gravissimis negotiis ab ore
 & consilio hujus Cardinalis pendebant.
 Tandem vero, ut a laboribus Romane
 Curie aliquantulum refici posset, pro
 more suo Senas petiit, ubi tamen Menie
 Octobri in lethalem incidit morbum,
 quo usque ad vigesimam tertiam No-
 vembris diem protracto confectus obiit,
 annos natus septuaginta, sepultus Senis
 in Ecclesia S. Georgii, quam ipsemet
 magno sumptu vivens exornaverat.

§. XXVII.

*Septem Præsules a Clemente XII.
 Papa Cardinalium Collegio ad-
 scripti.*

Hoc item anno Clemens Papa Purpura-
 ratorum Collegium septem aliis re-
 cens nominatis augere voluit, eosque
 die vigesima Decembris in secreto, ut
 vocant, Consistorio enuntiavit. Ex
 his primus erat Thomas de Almayda,
 Lusitanus & Ecclesie Ulyssiponen-
 sis Occidentalis Patriarcha, Cardinalis
 Presbyter sine titulo, eo quod Romam
 nunquam venerit; qua autem occasio-
 ne in hunc Patriarchatum Purpuræ
 honor perpetuo insertus fuerit, jam sæ-
 pius relatum est. II. Henricus Ofwaldus
 a Turre ab Arvernia Bullionius, na-
 tione Gallus, Archiepiscopus Vien-
 nensis in Delphinatu Presbyter Cardi-
 nalis tit. S. Callisti. III. Josephus Domi-
 nicus de Lamberg, Germanus, Epi-
 scopus Passaviensis, Presbyter Cardi-
 nalis Tit. S. Petri in Monte Aureo, cui
 ipsemet Imperator Carolus VI. Viennæ
 Biretum rubrum ab Altempio Abbate
 delatum die decima Aprilis consueta so-
 lemmitate imposuit. IV. F. Caspar de
 Molina, Hispanus Ord. Eremitarum
 S. Augustini, Malacitanus Episcopus,
 Presbyter Cardinalis sine titulo V. Jo-
 annes Alexander Lipski, natione Po-
 lonus, Cracoviensis Episcopus Presby-
 ter Cardinalis pariter sine titulo VI.
 Reynerius de Ilcio dictus vulgo Delcius
 patria Senensis Archiepiscopus Ferra-
 riensis,

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Vid. supra
 pag. 334.

Sæc. XVIII. rientiſis Presbyter Cardinalis titulo S.
A. C. 1737. Sabinæ. Hic quidem hoc anno cum
 ceteris creatus erat Cardinalis, pri-
 mum tamen die vigesima tertia Junii
 anni ſequentis publicatus. Ceterum
 Delcio ad Purpuram eveſto, cum
 prius apud Franciæ Regem Apoſto-
 licus eſſet Nuntius, Pontifex Bede-
 Montium Avenionenſem Pro-Legatum
 eidem ſubrogavit, quem tamen Rex
 acceptare renuit, ſed Lercarium Ab-
 batem, cui Avenionenſis Legatio jam
 erat demandata, Nuntium in Gallias
 decerni petiit: Non deerant tamen
 Clementi Pontifici Maximo tam valide
 rationes, ut his permotus Rex Bede-
 Montii nominationem ratam haberet.
 VII. Carolus Rezzonicus, Venetus,
 S. Rotæ Romanæ Auditor, Cardina-
 lis Diaconus primo Tit. S. Nicolai in
 carcere Tulliano, & poſtea Presbyter
 Cardinalis Tit. S. Mariæ in Ara cœli.
 Hic anno 1758. die ſexta Julii in Papam
 electus, nomen Clementis XIII. ſu-
 ſumpſit.

§. XXVIII.

*Actum de tollendo diſſidio Papam in-
 ter & Polonos.*

*Vid. Tom.
 74. p. 39.*

Postquam Augustus III. Poloniæ Rex
 ſolium ſuum non modo omnium ſer-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

me Magnatum obsequio, sed potissimum propria sua clementia firmaverat, primas eo curas intendit, ut dissidia adhucdum ferventia cum exteris Principibus componerentur. Eo fine ad diem octavam Julii Fraustadii *Senatus Consilium*, ut vocant, celebrari præcepit, in quo de hisce quinque articulis seriam consultationem institui jussit I. qua via contentio ob prætensum jus Patronatus a summo Pontifice mota feliciter ac penitus finiri queat? II. quodnam tempus proximis Regni comitiis certo præfigendum sit? III. Quid Ruffiæ Imperatrici & Sultano respondendum sit, petentibus, ut sibi locum in Polonia pro celebrando pacis conventu assignaretur IV. quomodo a Neapolitano Rege solvendæ pecuniarum summæ sint repetendæ? V. Ac denique quæ rationem militum conscriptiones, quæ ab exteris Principibus in Regno factæ sunt, præpediri valeant? Circa hæc capita Congregati Episcopi ac Proceres concluderunt. I. Sendomiriensi Palatino injungendum, ut cum summi Pontificis Nuntio de dirimendis omnibus controversiis ageret. II. Consueta Regni comitia proximo anno esse celebranda. III. Ad proximum Conventum ablegandum esse Polonicum Ministrum, qui Carlowicensem pacem omnino factam, tectam-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

tectamque servari urgeret. IV. Negotium de solvenda pecuniarum summa Cujaviensis Episcopi & Vincenti Abbatis dexteritati ac solertiae esse relinquendum. V. Exteros militum selectus tam lenitatis, quam severitate esse cohibendos.

§. XXIX.

Protestantium querelæ ad Cæsarem.

Quamvis Carolus VI. Imperator illis subditis suis, qui Lutheri & Calvinii commenta profitebantur, liberum Religionis exercitium, & ex Austria in Hungariam emigrandi beneficium indulgisset, non deerant tamen ex illis nonnulli turbidæ indolis homines, qui nescio quibus acerbis vexationibus se in odium sectæ suæ a Clero opprimi quererentur, eoque fine per Principum Protestantium Legatos, suosque deputatos Viennæ identidem clementissimi Imperatoris aures pulsarent. Equas esse horum querelas eo minus sibi persuadere poterat Carolus, quo frequentius ipsimet Emigrantes literis suis testati fuissent, se plena Religionis libertate, rerum abundantia, omnibusque tranquillæ vitæ commodis in Transylvania frui, & ab ipsis Cæsareis Administris

Sæc.XVIII.
A. C. 1737.

nistris perbenigne haberi, prout speci-
 atim illi, qui Burziam, quæ Regia
 est in extremis Transylvaniæ finibus si-
 ta, delati fuere, in sua epistola anni
 prioris die decima nona Augusti Ste-
 phanopoli data ingenue fatebantur. *Nu-
 minis clementia, scribebant ipsi, in Tran-
 sylvaniam sine discrimine adducti sumus, &
 in ipso itinere omnibus commoditatibus pro-
 visi nil eorum experti fuimus, quæ alii no-
 bis fors eventura falso prædixerunt &
 comminati fuere: Regio nostra aere puris-
 simo, salubri aqua, & victualibus levis-
 simi pretii abundat: tam felix est Regio, ut
 brevi nostros huc venturos anxiiis votis desi-
 deremus.* Ejusdem pene tenoris erant
 plures aliæ horum literæ, adeo, ut
 Imperator Protestantium lamenta stu-
 diose ad extorquendos ampliores favo-
 res excogitata fuisse, haud temere su-
 spicaretur. Quocirca tribus præcipuis
 Sanctioris sui Consilii Viris injunxit, ut
 in rei veritatem sedulo inquirerent, &
 si quos injuste oppressos deprehende-
 rint, media proponerent, quibus ejus-
 modi gravamina opportune tolli pos-
 sent, salvis tamen per omnia Romano-
 Catholicæ Religionis juribus. Hi ergo
 tam inter se, quam præprimis cum
 Cardinale Collonitschio, Viennensi Ar-
 chiepiscopo & Dominico Comite Passio-
 neo Sedis Apostolicæ Nuntio frequen-
 Hist. Eccles. Tom. LXXV. O o tes

Sæc. XVIII. tes habuere consultationes, ac demum
A. C. 1737. Imperatori declararunt, si iniquis Pro-
 testantium postulatis satisfaceret, haud
 leve Religioni Catholicæ præjudicium,
 vulnusque inflictum iri, nil ergo con-
 sultius videri, quam si utriusque Re-
 gionis deputati æquali numero nomi-
 narentur, qui postulata & jura utri-
 que mature discuterent, & demum rei
 decisio tam Cæsareæ suæ Majestati,
 quam Ratisbonensibus Imperii comitibus
 relinqueretur. Placuit horum consi-
 lium Imperatori, qui etiam Russæ Im-
 peratrici, Sueciæ, Daniæ & Boru-
 siæ Regum precibus expugnatus indol-
 sit, ut Calvinistis in Transylvania qua-
 tuor Ecclesiæ, & schismaticis Græcis
 in Croatia Tempora antehac possessa red-
 derentur, quo facto Croatæ in gratitu-
 dinis signum Imperatori pollicebantur,
 suorum decem millia, si opus foret,
 ultro contra Turcas in aciem proce-
 sura. Attamen haud diu tenuit grata
 accepti beneficii memoria; Hungari
 enim Protestantes prona Imperatoris
 voluntate abusi, paulopost interpositis
 novis querelis pro more adhuc amplio-
 res propagandæ suæ Sectæ limites libi
 figi postularunt, ac uente eorum auda-
 ciam fiducia in Franciscum Lotharingæ
 Ducem, tum hujus Regni Pro-Regem
 hujus

hujus enim singularem clementiam eo-
rum postulatis suffragaturam sperabant. Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XXX.

*Gravamina Religionis Catholicæ
contra Protestantes ab Archiepi-
scopo Viennensi proposita.*

Verum Sigismundus Cardinalis Col-
lonitschius Viennensis Archiepisco-
pus eodem tempore longe graviora Re-
ligionis Catholicæ gravamina præfer-
tim Archi - Diæcesis Viennensis adver-
sus Sectarios maximo numero accres-
centes Augustissimo Imperatori Carolo
VI. proposuit; enimvero jam anno priori
dignissimus hic Præsul desuper apud
eundem Cæsarem querebatur, aucto
tamen malo hoc item anno rursus edito
scripto satis prolixo pericula inde ena-
ta & emergenda coram tota augustissi-
ma Aula fufius exposuit hujus tenoris.

Augustissime Imperator!

„Cæsarea, Regia ac Catholica Ma-
jestas sua clementissime concedat, ut
„communem & gravissimi momenti
„causam eidem debita submissione ex-
„ponam. Agitur de Viennensi Archi-
„episcopatu, ejusque Diæcesi, cujus
„curam ad communem animarum salu-
„tem,

*Vid. supr.
pag. 298.*

Sæc. XVIII. „tem, & incolarum æternam felicitatem
A. C. 1737. „tem ante aliquot annos indignitatem
 „meam committere, Cæsareæ suæ Ma-
 „jestati gratiosissime placuit: inde vero
 „mihi utpote constituto Pastori Ecclesie
 „suae, sicut strictam coram Divino
 „tribunali rationem reddendi necessitas
 „accrevit, ita etiam mihi, si mihi
 „meo deessem, gravissimum ac inveni-
 „tabile Divinae justitiæ supplicium per-
 „timescendum foret.

„Prudentiam & Sacrae Cæsareæ
 „Majestatis sagacitatem non latet. Pa-
 „storalis officii onus tam in Canonicis
 „quam profanis juribus pro gravissimo
 „haberi, hancque laboriosam sollicitu-
 „dinem a Tridentina Synodo Angelicis
 „etiam humeris formidandam decia-
 „rari.

„Jam vero inter præcipuas Pastora-
 „lis officii partes maxima est, ut oves
 „sibi commissas & pretioso Christi Do-
 „mini sanguine redemptas vigili oculo
 „pascat, & custodiat, ne ab infernali
 „lupo infestentur, aut omnino (quod
 „Deus avertat) manifesto animæ dan-
 „tate, & æternæ ruinæ exponantur,
 „prout Apostolus Doctor gentium etc.
 „serio inculcavit, his verbis: *Attende-
 te vobis & universo gregi, in quo vos
 Spiritus*

Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

„Et quemadmodum S. Gregorius epist.
 „ad Patriarcham Const. pro indubitato
 „habet illum Pastorem esse summopere
 „reprehensibilem, qui gregi suo invigilare negligit, ita etiam silentium
 „summopere nocivum esse, quando cognitis tot animarum periculis Pastor
 „obmutescit, grassanti malo non obsistit,
 „cunctas corruptelas, ac Ecclesie suæ
 „scandala incurius dissimulat, & vel humano respectu, vel vano timore, aut
 „blandiente spe malum gregi suo immittens aut contacta facie, aut clauso
 „ore negligit. Ejusmodi Pastor haud
 „immerito cum Isaia Propheta ingemiscere debet: *Væ mihi, quia tacui,*
 „ejusmodi silentium, etsi in unius
 „duntaxat animæ ruinam cedat, adeo
 „jam culpabile est, ut Deus apud
 „Ezech. c. 3. ejusmodi Pastori denuntiet: *Sanguinem ejus de manu tua requiram:*
 „Pariter D. Paulus inter gravissimas rationes hanc ipsam horrendam
 „Dei sententiam suis Hebræis velut efficacissimam rationem exposuit,
 „qua eos incitaret, ut omnibus sibi præpositis Pastoribus Ecclesiasticis
 „omni animi promptitudine eam præstarent obedientiam, quæ ad fidelem
 „Pastoralis officii sui administrationem
 „ratio-

Sæc XVIII. „rationem, & præcavenda omnia ani-
 A. C. 1737. „mæ pericula est necessaria: Ad hoc
 „igitur his utitur verbis: *Ipsi enim per-
 „vigilant, quasi rationem de animabus vo-
 „stris reddituri. Hebr. 13.*

„Si igitur Augustissime Imperator,
 „tam grave est Pastoralis officii onus,
 „si tam formidanda ratio coram Divi-
 „no Tribunali reddenda, ut nec major
 „nec gravior esse posset, tunc nemo
 „mihi utpote hujus Diœcesis constitu-
 „to Pastori perdemissas meas querelas
 „vitio vertere, aut fors irrepenes acet-
 „biores expressiones immaturo Zelod-
 „scribere poterit; ubi enim rei gravi-
 „tas deposcit, ut ea in debito loco cir-
 „ni, quo potest, ardore & efficacia de-
 „feratur, ibi omnis dissimulatio, aut
 „verborum ambiguitas culpabilis est,
 „ac nemini in malam partem trahi po-
 „test, si Principis solum plena libertas
 „te accedat, & sine tergiversatione id
 „exponat, quo neglecto, tanquam ex
 „infecta scaturigine nil certius, quam
 „Provinciarum ruina, armorum inie-
 „licitas, totius Regionis excidium,
 „imo & Augustissimæ prosapiae sterili-
 „tas, Deo ita permittente, pertime-
 „cenda foret. Ea sunt, quæ, Augu-
 „stissime Imperator ac clementissime
 „Domine, me impulerunt, ut meam
 „pete

„petitionem in hoc libello supplici eo Sæc.XVIII,
 „liberius exponam, quo firmiter specta- A. C. 1737.
 „ta rei æquitate, prudentia, & pieta-
 „te a prospera gravissimæ meæ petiti-
 „onis executione non modo Cæsareæ
 „suz Majestatis, & Augustissimæ Do-
 „mus Austriacæ terrenam atque æter-
 „nam felicitatem, sed & propriam ani-
 „mæ meæ salutem dependere, perfu-
 „asissimum habeam.

„Ut ergo propius ad rem accedam,
 „& communem necessitatem paucis
 „aperiam, declaro, nos omnes intimo
 „doloris sensu intueri, quam deploran-
 „da sorte Sacrosancta Religio Catholica,
 „extra quam nulla salus, aliquot abhinc
 „annis a primævo & antea tam auspi-
 „cato incremento in Cæsarea hac me-
 „tropoli, vicinisque locis (ut nihil di-
 „cam de aliis extra meam Dicecesin)
 „defecerit, in pluribus articulis op-
 „pressa jacuerit, & per diversæ Reli-
 „gionis incolas indies magis magisque
 „acrescentes, & immodice eis indul-
 „tas libertates non sine inexplicabili
 „omnium fidelium & Religioni Catholi-
 „cæ apprime addictorum civium & sub-
 „ditorum luctu enormiter labefactata
 „fuerit. Ingens hoc malum oppido gra-
 „ve vulnus est, illudque tota omnium
 „recte sentientium communitas eo ac-
 „erbio

O o 4

Sæc. XVIII. „erbiore mœrore perſentiscit, quo in
 A. C. 1737. „timius in eorum corda & viscera gra-
 „ſatur. ſuum venenum latius diffundit
 „& ipsis etiam adhuc ſanis membris
 „æque periculofam peſtem intentat, &
 „tandem per indifferentiam aut negle-
 „ctum illorum, qui fors remedium
 „ponere poſſent, ad ſingula ferme me-
 „menta non ſine communi horrore
 „geſcit.

„In præſentaneo hoc damno ac im-
 „minente periculo nil aliud mihi ſuper-
 „eſt, niſi ut ad tenerrimam Cæſareæ
 „ſuæ Majestatis conſcientiam, omni-
 „busque perſpectam pietatem humili-
 „me recurram, ſpe fretus, Imperato-
 „rem ac Regem re & nomine Catholi-
 „cum, atque ex Auguſtiſſima Domo Au-
 „ſtriaca ortum veræ Religionis adeo op-
 „preſſæ, & vexatæ Eccleſiæ a ſolo Chri-
 „ſto Domino inſtitutæ in ſua Metropoli
 „ac ditionibus auxiliatrices illas impen-
 „ſurum manus, quas juxta ſalutares
 „Patriæ leges ad clara Monafterienſis
 „paciſ verba omni jure ac æquitate ab
 „ipſo Domino Deo exorare ac petere
 „mearum partium eſſe cenſeo, ac ſi-
 „miler credo.

„Pro ea autem duntaxat peroro Re-
 „ligione, Auguſtiſſime Cæſar, quæ
 „jam pluribus ſæculis in Auguſtiſſima
 „Archiducali Domo Auſtriaca fuit con-
 „ſervata, contra omnes fidei hoſtium
 „incur

„incurfus propugnata, tenero affectu, Sæc. XVIII.
 „& fervido Zelo propagata, & in re- A. C. 1737.
 „motiffimis Orbis partibus ipsis etiam
 „barbaris populis implantata, & non
 „fine generoso immensorum thesauro-
 „rum ac divitiarum contemptu, bono-
 „rum vitæque jactura in suo flore ac
 „inviolata puritate ad æternam totius
 „posteritatis felicitatem ac salutem glo-
 „riofissime conservata fuit. Hæc loqu-
 „untur tot Aufriacorum Ducum edi-
 „cta, tot pretiosa Ecclesiarum ædifi-
 „cia, tot ac pene innumera privilegia
 „ac immunitates, tot severæ leges,
 „ac rigidæ sententiæ contra omnes
 „veræ Ecclesiæ adversarios pronuntia-
 „tæ, adeo, ut vere dici queat, quod
 „Augustiffima hæc Domus omnem suum
 „ortum, progressum atque incremen-
 „tum, necnon uberrimam, ac dein-
 „ceps largiter sperandam benedictio-
 „nem tam Religioni Catholicæ in eo-
 „rum ditionibus inviolabiliter confer-
 „vatæ, quam filiali erga sedem Apo-
 „stolicam obedientiæ, atque affectui &
 „reverentiæ erga sanctam Matrem Ec-
 „clesiam Catholicam, necnon indele-
 „bili ac laudabiliffimo Religionis Zelo
 „etiam in turbidiffimis occasionibus
 „tam in Austria quam in Hispania præ-
 „stito unice debeat. Quod autem hæc
 „non tam nitide dicta, quam solide
 O o 5 „pro-

Sæc. XVIII., probata sint, fatebitur Cæsarea sua
 A. C. 1737., „Majestas, memori mente recoleus
 „quod eius gloriosissima sub Rudol-
 „pho I. Romanorum Imperatore supra
 „suam prosperitatem mirabiliter respo-
 „rescentem & ad seros posteros Cæsa-
 „ream dignitatem per plurima sæcula
 „propagatam nulli alteri in acceptis re-
 „ferre possit, quam fidei Catholice
 „religionis Zelo, & immotæ pietati
 „erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacra-
 „mentum: Recordabitur etiam Cæsa-
 „rea Majestas, quod Rudolphus cum
 „in Aquisgranensi ejus inauguratione
 „Imperiale sceptrum casu non fuerit in-
 „ventum, Christi in Cruce affixi ima-
 „ginem ab Altari desumpserit, alta ro-
 „ce adstantes his verbis allocutus, *Ecce*
 „*hoc Sceptro utor contra hostes Dei & Im-*
 „*perii.* Pariter Carolus V. rebus glo-
 „riosissime gestis toto orbe celebratissi-
 „mus Monarcha, dum Hispanum dia-
 „dema in Philippum II. transtulerat,
 „eidem lacrimis ubertim effusis Eccle-
 „siæ Sanctæ Dei tutelam his verbis
 „commendavit: *Si amplissimam Monar-*
 „*chiam tanto Majorum tuorum labore par-*
 „*tam retinere velis, tuis in regnis aliena*
 „*Catholica Religione nequaquam patiaris.*
 „Ferdinandus quoque II. Romanorum
 „Imperator persæpe dicere auditus est
 „*Malle se Imperio excedere cum Coniuge &*
 „*Liberis*

Liberis, & solo scipione instructum exula- Sæc. XVIII.
re, quam injuriam Deo & Ecclesie per A. C. 1737.
hæreses illatam in terris suis tolerare. „De-
„nique Leopoldus I. gloriosissimus piæ
„memoriæ Parens Majestatis vestræ his
„nequidem contentus erat, sed non
„tantum in Ratisbonensibus Imperii
„comitiis, sed etiam postea Viennæ
„coram suis Aulicis declarabat, se Re-
„ligionis causa etiam relicturum scipionem
„illum, si res ita ferret.

„Brevitatis studio prætermitto ea,
„quæ in Hispania omnes Austriacæ stir-
„pis Reges a Carolo Philippo usque ad
„Carolum II. in ipsorum ditionibus pro
„Catholicæ Religionis defensione gene-
„rose præstiterunt, ac sollicitè fidem
„Catholicam in omnibus Orientem &
„Occidentem versus transmarinis Re-
„gionibus implantare, propagare, &
„profusis etiam bonis ac sanguine pro-
„pugnare studuerunt, firmum, fixum-
„que habentes, se nolle latius per Orbem
„quam Deum & Ecclesiam Christi imperare.

„Cum igitur Cæsarea sua Majestas
„a Serenissimis hisce Monarchis descen-
„dat, & simul laudabilem horum Chri-
„stianorum Majorum pietatem, devo-
„tionem & Religionis ardorem, prout
„tot luculenta testantur monumenta,
„possideat & hæreditario velut jure in
„se

Sæc. XVIII. „se transtulerit, hinc funestas proflis
 A. C. 1737. „Religionis oppressiones in Cæsarea sua

„Metropoli subinde emergentes pro cor-
 „ruptelis & ausibus Cæsareæ suæ pi-
 „tati summopere infensis, ejusque
 „scientiæ ac voluntati recta oppositis
 „omnino habere cogor: Eo sine se-
 „pius quidem impellente officii mei le-
 „bito, maxime noxios ejusmodi abu-
 „sus Cæsareæ suæ Majestati summa fir-
 „mitate denunciare, atque aperire
 „præsumpsissem, nisi fatales rerum vi-
 „cissitudines, & funestus belli succes-
 „sus rem dissimulare, & opportuniora
 „præstolari tempora coegissent, ut
 „meam petitionem tandem cum majo-
 „ri efficacia, & magis optato successu
 „exponere valerem. Nunc vero, ubi
 „Divini Numinis clementia, discussis
 „turbarum nebulis serenior dies afful-
 „gere videtur, haud differendum cen-
 „seo, quin totius Catholici gregis no-
 „mine in tam gravi Religionis necessi-
 „tate vocem meam coram Cæsareo so-
 „lio humillime exaltem: Progressurus
 „igitur ad ponderosæ calamitatis expo-
 „sitionem, eam in sex potissimum arti-
 „culis consistere declaro.

„I. Notum est omnibus, quod jam
 „multo abhinc tempore partim occasio-
 „ne indulti municipii partim sub obten-
 „to

„tu inventorum opificiorum Protestan- Sæc. XVIII.
 „tium familiæ Viennam tanto numero A. C. 1737.
 „irreperint, ut omnia suburbia re-
 „pleta sint ejusmodi hominibus, qui
 „præfatæ tutelæ ac privilegii scuto tuti
 „cum suis uxoribus & liberis stabilem
 „sedem fixerunt, & suas negotiationes,
 „opificia, & operas palam, libere, ac
 „nemine reclamante, sicut in Prote-
 „stantium terris, exercent.

„Hi etiam non raro famulos & opi-
 „ficii Tyrones in suis officinis alunt,
 „quos vel studiose e Protestantium ter-
 „ris accersunt, vel ab hujatibus Pa-
 „rentibus Catholicis præinopia suos li-
 „beros alendo imparibus, non sine
 „manifesto perversionis periculo, & tor-
 „pretiosarum animarum damno frau-
 „dulenter ad se eliciunt. Pari etiam
 „perversitate alios Catholicos ad sua
 „servitia assamunt, sæpe illos a Sacra-
 „mentorum frequentatione retrahunt,
 „diebus vetitis ad carniem esum com-
 „pellunt, pudenda principia, aut sal-
 „tem Catholicæ doctrinæ neglectum &
 „contemptum perniciosissimum pro vi-
 „ribus instillant. Id hujates Curati &
 „animarum Pastores tam intra quam
 „extra urbem quotidie non sine maxi-
 „mo mœrore experiuntur: His mediis
 „Protestantes, ibi tolerati, necnon &
 „Secta-

Sæc. XVIII. „Sectariorum familiæ tanto numero ex
 A. C. 1737. „crevere, ut potissimæ civiles Tribus
 „ejusmodi hominibus abundant, illos
 „que tanto numero alere teneantur,
 „ut plures Catholici cives senio attri-
 „panem ostiatim mendicare, aut om-
 „nino vix non fame perire & victum
 „exteris hujusmodi Protestantibus
 „linquere cogantur.

„Nec sine dolore percipi potest,
 „quod plures hujus Urbis Nobiles non
 „modo Lutheranos & Calvinianos fa-
 „mulos & ancillas sine minima conver-
 „sionis spe annuatim in eorum servis
 „tolerent, sed insuper eos in Oecon-
 „mos, Inspectores, hortulanos & pro-
 „suis ædibus, hortis, & prædiis con-
 „stituant, & unacum mulieribus & eo-
 „rum liberis habitandi, sedemque sta-
 „bilem figendi locum præbeant. Præ-
 „terea constat, quod in vicino oppido,
 „cui *Schwüchtæ* nomen, integra Luthe-
 „ranorum lanificum colonia confederit,
 „hique hujatum Protestantium auxilio
 „suffulti tantam sibi attribuant Religio-
 „nis libertatem, qualis tamen nec Pa-
 „triæ legibus, nec salutaribus Princi-
 „pum statutis unquam eis indulta fuit:
 „imo Austriaca Domus omni tempore
 „(prout postea pluribus demonstrabitur)

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„tur) tale Religionis exercitium solem-
 „niter, constanter, & efficaciter secta-
 „riis denegavit; nil dicam de multis
 „emporio associatis, qui tempore, quo
 „iustissimis ex causis in hac urbe inevi-
 „tabilis negotiationis emendationem
 „suscipere necesse erat, quamvis ea
 „duntaxat diserta lege tolerati fuerint,
 „ne ullum ex exteris advocent, sed ali-
 „unde eos conducant, nihilominus ta-
 „men nunc proprias ædes, proprium-
 „que focum possident, & pro numero-
 „sis suis familiis juvenes Prædicantes,
 „& in Protestantium scholis & univer-
 „sitatibus studio conuctos alunt Com-
 „missarios, qui sub obtentu Præcepto-
 „rum, ad instituendam eorum juven-
 „tutem necessariorum libere, & sine
 „ullo impedimento in Austria degere
 „præsumunt. Profecto hæc nimis li-
 „bera nullisque cancellis circumscripta
 „horum cum Catholicis conversatio,
 „quam grave damnum Catholicis sta-
 „tibus & terris inferat, fatali prorsus
 „experimento docet vicina Salisbur-
 „gensis Archidicæcesis, in qua post se-
 „dulam plurium pagorum inquisitio-
 „nem variarum hæresum pestes latius
 „grassantes detectæ fuerant, deprehen-
 „sumque, quod per fodinarum fossi-
 „res & metallarios e Saxonia evocatos
 „primum dogmata sequiora in hos pa-
 „gos

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

„gos fuerint inuenta, & deinde mor
 „non modo in Salisburgensium terris
 „aucta & corroborata, sed etiam ad
 „finitimam Styriam ac Carinthiam pe
 „stifera hæc lues fuerit propagata.

„II. Inter hujus urbis Opifices
 „ciplina moralis seu ab antiquo tradita
 „opificum pia statuta penitus ferme
 „abolita sunt, eoquod Lutherani &
 „Calviniani famuli & tyrones a
 „Sectæ addictis incitati, consuetas hu
 „jatum Tribuum leges spernant, Lu
 „therana & Calviniana Oratoria con
 „tra disertam inhibitionem libere fre
 „quentent, & diebus Dominicis qua
 „tuor temporum, in quibus pro veteri
 „more Missæ sacrificia & alia pietatis
 „opera, & consueti conventus exerce
 „bantur, haud amplius compareant,
 „& quamvis aliqui poenæ declinandæ
 „caussa intersint, potius tamen scanda
 „lum, quam bonum exemplum præ
 „beant, Catholicos pie adstantes in
 „eorum devotione perturbent, & ve
 „rum Dei cultum cachinnis & ludibrio
 „explodant, proin hoc pietatis opus,
 „quod velut fidei adversarios ad veri
 „tatem reducendi medium salubriter
 „excogitatum fuit, sensim abrogent,
 „& annihilent. Et si forte opificum
 „Magistri hosce discolos ad præscrip
 „tione

„disciplinæ usum minis & pœnis adi- Sæc. XVIII.
 „gere tentant, hi nulla mora officinas A. C. 1737.
 „deserant, qui omni tempore & casu a
 „Protestantibus artium & opificiorum
 „Magistris libere ac certo recipiuntur.

„III. In hac Urbe omnes, quotquot
 „ex Protestantium grege currere aut
 „reperere possunt, sine rubore & timore,
 „libere ad Protestantium Legatorum
 „hic agentium privata Oratoria advo-
 „lant, cum tamen id severissimis Au-
 „striacorum statuum edictis sit prohibi-
 „tum, & tantummodo hisce Legatis
 „in venerationem suorum Principum sit
 „indultum, ut ipsi duntaxat cum suis
 „familiis, & famulis secreto & sine stre-
 „pitu suæ Religionis actus exercere
 „possint, minime vero, ut omnes in
 „Urbe advenas vel transeuntes, exte-
 „ros, aut artifices vel opifices ad hos
 „actus invitare, vel eis liberum adi-
 „tum concedere, licitum esset. Id in
 „Aultriacæ ditionis legibus tam severe
 „cautum est, ut olim, & adhuc glorio-
 „sissime Regnantibus Leopoldo I. & Jo-
 „sepho I. Cæsarei Magistratus jussu an-
 „te exterorum Oratorum Palatia Satel-
 „lites (*) collocati fuerint, qui cun-
 „ctos

(*) Uti Protestantes Nordlingæ & alibi
 hodie adhuc faciunt.

Hist. Eccles. Tom. LXXV. P p

Sæc. XVIII
A. C. 1737
 „ctos ad Legatorum familiam non spe-
 „stantes ab accessu ad privata hæc ora-
 „toria arcebant: Provide vero hæc lex
 „a nemine adeo non carpi potest, cum
 „libertates ac prærogativæ Legatis ubi-
 „que jure gentium competentes inde
 „nullo pacto minuantur, sed potius il-
 „læ omnino intactæ relinquuntur: h-
 „super hucusque semper usitata liberta-
 „tum proprio arbitrio usurpatarum re-
 „strictio ac limitatio nostro præcipue
 „ævo eo magis necessaria esse videtur,
 „quo magis, cum ad Protestantium car-
 „stra singulis transeundi libertas aperta
 „sit, haud immerito timendum est, ne
 „rudiores Catholici, uti sæpius fieri
 „amat, vel ex simplicitate, vel culpa-
 „bili pruritu ad has novitates induti,
 „a vero & Catholico Dei cultu, & Sa-
 „crofancto Missæ Sacrificio Diebus Do-
 „minicis aut festivis, non sine maxi-
 „ma proborum offensione, & proprio
 „ac summo animarum damno avertan-
 „tur.

„IV. Dolenter quoque experimur,
 „quod nonnulli ex hisce Legatis sæ-
 „sectæ addictos, cujuscunque demum
 „nationis, status aut Regionis sint, in
 „suum patrociniū & protectionem
 „clam in Imperiali hac Metropoli reci-
 „pere præsumant, qui tamen favor jux-
 „ta commune jus gentium non aliis
 „im-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„impendi potest, quam illis, qui vel
 „immediate ad Legationem pertinent,
 „aut ad summum, proprii eorum sunt
 „subditi. Minus adhuc tolerandum (si
 „tamen verum est, prout fertur, quos-
 „dam ex hisce Legatis in publicis Con-
 „ventibus jactitasse, & non sine funda-
 „mento edixisse) quod ipsi ex Catholi-
 „cis non paucos juvenes & senes, ut-
 „riusque sexus (forte ob inopiam con-
 „scientiæ suæ immemores) ad exterarum
 „Regiones septentrionales abduxerint,
 „abs dubio non alio ex fine, nisi ut pau-
 „peres & infelices hi homines veræ fi-
 „dei, & æternæ salutis jactura suas mi-
 „serias, & vitæ necessitates redime-
 „rent, & macido pane compensarent.
 „In hoc rerum statu quis sat provide
 „præcavere poterit, quin non Prædi-
 „cantes, aut sic dicti Legatorum Pa-
 „stores contra severissimum Austriacæ
 „ditionis edictum quosdam in Urbe in-
 „firmos invisere, eosque in Catholicis
 „ædibus, sine fronte & rubore cum exi-
 „stimata sua cœna Dominica munire sæ-
 „pius præsumerent, & quod magis te-
 „merarium est, insuper in querelas e-
 „rumpere non erubescerent, si ab ejus-
 „modi ausibus per legitimos superiores
 „additis minis arcentur. Inde vero
 „præter Catholicorum offensionem in-
 „super id genus mali enascitur, quod

P p 2

„Sa-

Sæc. XVIII. „Sacerdotes Catholici ab accessu ad in-
A. C. 1737. „firmos Protestantes per sectarios hos-
 „ce Prædicantes præpediantur, cum
 „tamen per Sacerdotum monita non
 „raro antea ejusmodi homines ab ani-
 „marum interitu præservati fuerint.

„V. Reipublicæ nil magis noxium
 „est, quam libri ab Ecclesia prohibiti,
 „fidei ac bonis moribus nocivi aut sal-
 „tem de veneno maxime suspecti; &
 „tamen, Proh dolor! ejusmodi mer-
 „ces cumulativè in nostras Regiones
 „invectæ, omnes officinas & Bibliotheca-
 „cas copiosissime replent, unde evenit,
 „quod juvenus, quæ aliunde ab ex-
 „teris Regionibus non nisi vitis uberius
 „quam virtutibus locupletata reverti-
 „tur, vix alios libros evolvere digue-
 „tur, nisi in A catholicis Regionibus
 „compositi aut editi fuerint, ex quo
 „omnino sequitur, ut cum ubique ve-
 „nena ejusmodi merces ad perniciem
 „& interitum multarum millium ani-
 „marum vel palam vel clam venales
 „prostant, Christianæ doctrinæ puri-
 „tatis depravetur, corda perversis prin-
 „cipiis inficiantur, reverentia atque
 „obsequium erga Sacram Sedem labo-
 „factetur, ac integræ Regiones & Re-
 „gna a debita veneratione, affectu &
 „fidelitate sæcularium etiam legitima-
 „rum

„rum Potestatum avertantur potius, Sæc. XVIII.
 „quam ad illam alliciantur: Hoc ip- A. C. 1737.
 „sum ingens malum etiamnum Viennæ
 „sub vano necessariae eruditionis præ-
 „textu ac velamento apud omnis con-
 „ditionis homines tam libere grassatur,
 „perinde ac si scientiæ non alibi quam
 „in Lutheranis & Calvinianis libris in-
 „veniri possent, cum tamen ejusmodi
 „libri mortiferum toxicon sub virenti
 „herba velut viperarum genimen con-
 „tegant. Exigui plane fructus, quos
 „inde fors colligere datur, nullatenus
 „sanare possunt lethale vulnus, quod
 „conscientiis infligunt, & certo ac ine-
 „vitabiliter inde oritur: Præterea ejus-
 „modi libri sub speciosissimis titulis a
 „Bibliopolis & nundinatoribus eo fine
 „commendantur, ut eo facilius emp-
 „tores acquirant; nam, ut ait S. Au-
 „gustinus c. de var. q. 100. *non potest so-
 la impietas proponi, quin non inveniat
 emptorem.* „Sicut ergo in omnibus pa-
 „triæ legibus, ac præsertim in nupera
 „Austriaca reformatione, præcipuum
 „primumque omnes errores & sequio-
 „ra dogmata excludendi medium fuerat
 „ejusmodi librorum prohibitio, ita gra-
 „vioris plane doloris argumentum est
 „hujus medii neglectus, cum ejusmo-
 „di librorum advectio non eo rigore,
 „Zelo ac ardore, prout par esset & rei
 P p 3 „gra-

Sæc. XVIII. „gravitas deposceret, impediatur. Do-
 A. C. 1737. „lendum quoque, quod non modo ex-
 „teri Ministri ac Legati, sed etiam in-
 „digenæ Cæsarei Consilii homines ejus-
 „modi libros eorum nominibus inscrip-
 „tos afferri curent, suaque auctoritate
 „& immunitate abutentes malum fa-
 „veant, & integras cistas & plaustra in-
 „fectis Bibliis, postillis, catechismis
 „cantionum libellis aliisque Acatoli-
 „corum scriptis & rapsodiis ^{conita}
 „furtive invehi satagant, & vel in hac
 „urbe vel alibi inter omnis status & con-
 „ditionis homines divulgent, non alio
 „plane fine, quam ut veram, puram
 „ac Catholicam veritatem velut per cu-
 „niculos subruant. Argumento sunt
 „toties a Civitatum, pagorum & fe-
 „nium Telonariis interceptæ & in pub-
 „licum collatæ sarcinæ, & cistæ, quin
 „tamen (quantum mihi constat) Re-
 „giorum ejusmodi edictorum trans-
 „gressores condigna poena, aut pro-
 „merita reprehensione mulctati fuissent.
 „quinimo e contrario graves non raro
 „ejusmodi libros invexere; sua enim
 „præpotentia apud Aulæ Ministros tan-
 „tum effecere, ut eis libri intercepti
 „denuo restitui debuerint, sub specio-
 „so prætextu, quod illis ad munus
 „suum obeundum omnino indigerent,
 „aut

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

„aut quod illis cum omni circumspec-
 „tione ac sine ullo periculo uti probe
 „nosset. An vero ejusmodi Luthera-
 „ni & Calviniani libri Cæsareo Consi-
 „lio ad officii sui administrationem adeo
 „necessarii sint, non equidem discu-
 „tiam, de opposito tamen persuasus &
 „convictus sum; nec ullus unquam de-
 „monstrare poterit, ejusmodi libros
 „etiam a doctissimis sine omni periculo
 „perlegi posse; sacræ enim fidei nostræ
 „contemptus ac vilipensio, quæ aliquot
 „abhinc annis tam luculenter invaluit,
 „indeque ubique enata Religionis re-
 „rumque ad eam spectantium indiffe-
 „rentia non ab alia pululat radice, nisi
 „ex libero cum exteris a fide deviis
 „commercio, ac præsertim ex promi-
 „scuo tot librorum, scriptorumque se-
 „ctariis erroribus infectorum usu: Po-
 „namus autem, apud quosdam ejus-
 „modi librorum possessores ob singula-
 „rem eorum scientiam ac prudentiam
 „tale periculum haud esse pertimescen-
 „dum, sufficit tamen, quod plerumque
 „post eorum obitum ejusmodi libri ad
 „illorum hæredes transferantur, & ab
 „his in alios divulgentur, vendantur,
 „& subhærentur, proin ad aliorum ma-
 „nus deveniant. Hos inter dantur
 „plures, quorum scientia & prudentia
 „tanta non est, ut ea illos ab omni pe-

Sæc. XVIII. „riculo, damno, perversione aut scan-
 A. C. 1737. „dalo præmuniat: nullatenus enim ne-
 „gari potest, hodieum plures in fide
 „Catholica progenitos ac enutritos tam
 „Nobiles quam plebejos dari, qui sine
 „omni scrupulo contra expressum Ec-
 „clesiæ interdictum passim & libere pro-
 „hibitos ejusmodi libros, aut damna-
 „tis doctrinis infectos legunt, perinde
 „acsi Ecclesiæ obedire non tenerentur,
 „aut flocci haberent, etsi ad æternam
 „animæ perniciem omne Ecclesiæ ob-
 „sequium palam recusarent, cum ta-
 „men Christus claris & distinctis verbis
 „suam eis mentem declaret, dicendo:
Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Matth. 18.
 v. 17.

„Unicum autem necessario adden-
 „dum restat, nempe aliquot abhinc an-
 „nis ad ejusmodi libros clandestine in-
 „vehendos ultro viam apertam fuisse,
 „dum Viennæ tot Lutherani & Calvi-
 „niani Bibliopolæ fuerint recepti, ut
 „ex duodecim circiter vel tredecim vix
 „tres aut quatuor Catholicos reperire
 „sit, ceteri autem omnes aut Lutho-
 „rani aut Calvinistæ sint. Ex tot Aca-
 „demicis, tantoque numero auctis Bib-
 „liopolis, qui duntaxat ex Lipsia, Hal-
 „la, Francofordia, Norimberga & Am-
 „stello damo suas merces advebunt, quid
 „boni

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„boni & utilis pro re Catholica sperari
 „poterit? præcipue cum hi per occul-
 „tas illicitasque vias, patrocínio a
 „Magnatibus exorato atque extorto
 „tuti, adulterinos, reipublicæ & Ec-
 „clesiæ Dei summopere perniciosos lib-
 „ros invehi totis viribus adlaborent.
 „Et quamvis ejusmodi Bibliopolæ sem-
 „per catalogum innoxiorum, utilium-
 „que librorum exhibeant, quotidiana
 „tamen experientia nos docet, quod in-
 „super impiorum librorum catalogos
 „separatos habeant, quos nulli sibi su-
 „specto, sed duntaxat taciturnitate sua
 „probato ostendunt, quorum tamen
 „ope pestis de manu ad manum propa-
 „gatur, & sensim Urbes & Regiones
 „damnanda hac lue inficiuntur.

„VI. Inter alias jamjam invalescen-
 „tes corruptelas denunciare cogor,
 „quod aliquo abhinc tempore ob assi-
 „dui commercii & noxiæ conversatio-
 „nis cum A catholicis habitæ pravita-
 „tem Catholicæ fidei fervor apud mul-
 „tos hujus Urbis incolas ad oculum de-
 „ferbuerit, ac evanuerit, quinimo in-
 „tra breve temporis spatium (quod
 „hucusque inauditum erat) tres vel
 „quatuor non sine maximo animi nostri
 „dolore a vera fide defecerint, quorum
 „exempli pravitas (non sublata causa)

P p 5

„certo

Sæc. XVIII „certo certius alios adhuc magis de-
 A. C. 1737. „plorandos ejusmodi casus inducet,
 „nisi, uti in aliis Provinciis, contra in-
 „fames hosce apostatas omni legum se-
 „veritate procedatur, & Sacrilegi ejus-
 „modi ausus per statutas poenas peni-
 „tus aboleantur, ac impediuntur.

„Hæc jam sunt, Clementissime
 „Domine, Augustissime Imperator, hæc
 „sunt tristitiæ nostræ argumenta, fu-
 „nesti casus & scandala, noxii, dam-
 „nandi, ac conscientiam excruciantes
 „abusus, qui aliquo abhinc tempore in
 „Cæsarea vestra Metropoli & finitimis
 „locis sensim invaluerunt, & sanctam so-
 „lamque salvificam Romano-Catholi-
 „cam Religionem luculenter labefacta-
 „runt, totque proborum Catholicorum
 „& fidelium subditorum fervorem acri-
 „ter exstimulant, eorumque corda la-
 „cerant, in aliis vero Religionis Ze-
 „lum imminuunt, ac periculosis la-
 „byrinthis involvunt: Cum autem pro-
 „priae experientiae testimonio convictus
 „sim, quod tenerrima conscientia, &
 „singularis, quo sacra Cæsarea Maje-
 „stas sua fervet, Religionis ardor pe-
 „riculosas adeo corruptelas diutius
 „minime tolerare possit, hinc ad prom-
 „pta remedia, & aggeres malo oppo-
 „nendos eo confidentius preces meas
 „peto

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„perdemisse interponere præsumo, quo
 „firmiori spe ducor, æquissimam meam
 „petitionem benignis auribus excipien-
 „dam fore, eo potissimum nomine, quod
 „meis votis omnia Divina jura, com-
 „munia Imperii pacta, pacis Westpha-
 „licæ instrumentum, Provincialia to-
 „ties emanata severissima edicta, decre-
 „ta, consuetudines, statuta, & sanctio-
 „nes universali calculo suffragentur.
 „Paucis tamen memorabo posteriora
 „tempora; non ita pridem enim post
 „divulgatum Lutheri errorem ex Chri-
 „stiano mandato Cæsareæ suæ Majesta-
 „tis felicis recordationis Ferdinandi I.
 „ad hæresin ex omnibus hæreditariis
 „suis Provinciis eliminandam efficacis-
 „sima & maxime opportuna decreta &
 „consilia, die vigesima Augusti an. Christi
 „millesimo quingentesimo vigesimo 7mo,
 „& anno sequenti die vigesima octava
 „Martii & vigesima Julii fuere inita,
 „ac promulgata, per quæ Religionis
 „schismata in variis locis jamjam exor-
 „ta, fuere eradicata, & salubrium
 „ejusmodi edictorum transgressores non
 „ordinaria, sed capitali pœna damnari
 „statutum decretumque fuit: Hæc &
 „plura silentio præterire volo, unice
 „in memoriam revocans recentiora tem-
 „pora; omnibus enim notissimum est,
 „quod quamprimum Reformationi in
 „Au-

Æc. XVIII „Austriacis terris non minus laudabile
 A. C. 1737 „liter quam pie susceptæ datum est

„initium, salubria prorsus edicta,
 „mandata, tam a p. m. Ferdinando
 „II. Imperatore & Cæsareæ suæ Majestatis
 „statis Proavo anno 1627. & 1631.
 „quam a Ferdinando III. Avo suo anno
 „1638. 1645. 1651. 1655. 1657.
 „puncto Religionis fuerint promulgata,
 „in quibus non modo omnes diversæ
 „Religionis incolæ, præcipue in Austria
 „Archiducatu infra Anisiam Principis
 „cipis auctoritate intra sex Menses
 „Catholicam Religionem amplecti & necessariæ
 „instructioni incumbere adhibebantur,
 „sed etiam omnes sectæ penitus exulare
 „jussæ, abrogatæ & sub severissimis
 „pœnis interdictæ fuerunt, ac denique
 „præter paucos illos Protestantantes
 „status, & Metropolis incolas, qui
 „privilegiis muniti & in Cæsareis
 „literis speciatim nominati erant, nulli
 „alteri concessum indultumque fuit
 „ad A Catholicorum loca, ubi sectæ exercitium
 „toleratum esset, proficisci, certisque
 „temporibus eo contendere.

„Enimvero Protestantes in Monasteriensi
 „pace sæpius urgebant, ut in hæreditariis
 „Austriæ Provinciis liberum Religionis
 „sux exercitium extorquerent, horum
 „tamen molitionibus

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„Cæsarei Oratores plena agendi facultate instructi semper immote, & tam firmiter sese opposuerunt, ut tandem Sueci, omnesque Augustanæ Confessioni addicti a suo proposito reslilent, & ejusmodi exercitium in Austriacis conditionibus urgere desisterent, prout manifeste patet ex ipso Instrumento Pac. Westph. Art. 5. §. 41.

„Sic etiam I. Ferdinandus II. die nona Decembris anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, & quinquagesimo primo die quarta Martii severe prohibuit, ne ullus nisi sit Romano - Catholicæ Religioni addictus vel in Urbe vel in Regione Austriaca sedem figere, aut ullo pacto stabiliter permanere præsumat. Quinimo illi A catholici subditi, qui vel patria emigraturi sint, vel jamjam emigrarunt, scriptotenus fidem suam obstringere tenebantur, se in patriam non reversuros, nisi prius ad fidem Catholicam rediissent. Ita decrevit Ferdinandus III. die decimo septimo Novembris anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

„II. Pariter Ferdinandus II. die vigesima quarta Septembris anno 1627. & Ferdinandus III. die quarta Januarij

Sæc. XVIII. „rii anno 1652. & die decima octava
 A. C. 1737. „Septembris anno ab Incarnatione Do-

„minica supra millesimum sexcentesimo
 „quinquagesimo quinto decrevit, nul-
 „los Prædicantes aut Ludimagistros
 „A catholicos in Urbe vel in Pagis esse
 „tolerandos, secus illos, qui vel eos in-
 „troducunt, aut fovent, ad terrorem
 „aliorum severissime puniendos esse.

„III. Idem Ferdinandus III. die de-
 „cima Novembris anno Christi millesi-
 „mo sexcentesimo quinquagesimo ter-
 „tio, & Leopoldus I. die decima tertia
 „Februarii anno Domini millesimo sex-
 „centesimo sexagesimo nono statuerant,
 „illis, qui emporia erexerunt, eorum-
 „que Conjugibus A catholicis negotian-
 „di copiam haud diutius esse conceden-
 „dam, quam in illis gentilitium vidua-
 „rum ac hæredum nomen propagetur,
 „aliis vero non nisi tanquam meris fa-
 „ctoribus & Creditoribus subjecti sint.

„IV. Ferdinandus quoque Tertius
 „die quarta Januarii anno 1652. inhi-
 „bit, ne ullus privilegiis, quæ in Ur-
 „be Protestantibus indulta sunt, uti vel
 „ea sibi arrogare audeat, præter illos
 „patriæ incorporatos, quibus id vi pa-
 „cis Monasteriensis competit; his quo-
 „que Imperator accenseri voluit illos
 „Im-

„Imperii status, qui in Cæsaris Aula Sæc. XVIII.
 „agunt, aut sunt exterorum Princi- A. C. 1737.
 „pum Oratores, Imperii Consiliarii &
 „Cæsarei Consilii Agentes, vel empo-
 „rio addicti, si tamen juxta emporii a
 „Maximiliano I. Imperatore erecti &
 „postea confirmati leges vivunt.

„V. Leopoldus I. die vigesima sexta
 „Januarii anno 1683. decrevit, ut hu-
 „jates Legati, Oratores aut Residen-
 „tes, quibus aliunde in suis ædibus
 „Oratoria erigere licet, præter suos fa-
 „mulos nulli alteri accessum præbeant:
 „Eodem quoque anno Provinciæ Ma-
 „rescallo injunctum erat, ut cum spe-
 „ciatim Lilienrothus Daniæ, & Comes
 „Oxenstirnius Sueciæ Regum Orato-
 „res necnon Persius Brandenburgicus
 „residens promiscue omnibus contra
 „expressa Cæsarem mandata ad eorum
 „Oratoria liberum accessum aperirent,
 „omnes subditos reprehenderet & sub
 „comminatione severioris supplicii ab
 „usurpata hac licentia absterreret.

„VI. Denique Ferdinandus I. die
 „duodecima Martii, Ferdinandus II.
 „die decima Aprilis anno 1628. Ferdi-
 „nandus III. die decima quarta Janua-
 „rij anno 1641. inhibuerunt, ne Secta-
 „riorum libri in patriam invehantur,
 „ven-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

„vendantur vel emanantur, minus vero
 „perlegantur. Rebus ita stantibus ca-
 „pere non possum, qua ratione vel im-
 „peratori, vel alteri regnanti Principi
 „imo exterae etiam Potestati vitio ver-
 „ti possit, si juxta proprias Regni leges
 „in Romano Imperio æquissime iam
 „jam receptas nullam aliam Religio-
 „nem, quam cui ipsemet additus est,
 „toleret, sed solam illam pro vera & uni-
 „ce salvifica teneat, & recipiat, quam
 „que veram, & omnino recipiendam
 „esse, ipsemet, plus nimium convic-
 „tum se sentiat. Cum autem ad re-
 „frænandum præsentaneum hoc ma-
 „lum varia media & consilia (cognit
 „enim multas invenire medicinas mal-
 „torum experimenta malorum, S.
 „Aug. Epist. 50.) suo tempore & loco
 „maturius ponderanda fuerint proposi-
 „ta, hinc supplex Cæsaream suam Ma-
 „jestatem rogo ac obtestor, ut pro mea
 „& sua conscientia in tuto collocanda
 „primas curas & provida consilia sua
 „eo convertere velit, ut quanto pri-
 „us fieri poterit, Cæsarea Commis-
 „sio decernatur, & quidem ex ejusmo-
 „di Viris composita, qui nullatenus te-
 „pidi aut indifferentes, sed ea pruden-
 „tia & Zelo præditi tam grave nego-
 „tium, ubi de Dei honore & animarum
 „salute potissimum agitur, ad optatum
 „er-

„exitum deducere, & pro avertendo
 „ulteriori periculo & Religionis oppres- Sæc. XVIII.
 „sione opportuna media excogitare va- A. C. 1737.
 „lent. Agitur de re, de qua Sacræ
 „Cæsareæ Majestatis Regnorumque fe-
 „licitas, Augustissimæ Domus confer-
 „vatio & incrementum, tot animarum
 „salus, & debita cum reverentia ausim
 „dicere, mea & Cæsareæ suæ Majesta-
 „tis propria æternaque Beatitudo potif-
 „simum dependet.

„Cumque hoc Dei & Religionis ne-
 „gotium principaliter Ecclesiæ Pasto-
 „rum curam tangat, Cæsarea sua Ma-
 „jestas clementissime concedat, ut ad
 „illius executionem duo vel tres Eccle-
 „siastici a me Delegati advocentur, qui
 „adhuc enucleatius, ac fusius remedii
 „necessitatem exponant, & cuncta ad
 „Cæsareæ suæ Majestatis mentem &
 „salutarem finem promoveant. Tan-
 „dem æquissimum, juxta ac sacrosan-
 „ctum hoc negotium, meque, & totam
 „meam Diæcesin in Cæsareæ suæ Ma-
 „jestatis gratias ac favores humillime
 „commendo &c. Hæc illo ævo vox
 „erat Viennensis Archiepiscopi in Cæsa-
 „ris Aula: Imperator vero quosdam spe-
 „cialiter deputabat, qui in has Archie-
 „piscopi querelas, propositasque cor-
 „ruptelas sedulo inquirerent; hos inter
 „Hist. Eccles. Tom. LXXV Qq præ-

Sæc. XVIII præcipui erant Comes de Khevenhül-
 A. C. 1737. ler Viennensis Metropolis Gubernator
 & P. Peickard Cæsareus Concionator.

§. XXXI.

*Causa de decimis Weveldensibus ad
 Tribunal Rotæ Romanæ delata.*

Hoc item anno celebris agitabatur
 controversia de decimis. Illius
 occasio erat hæc: Jam ab aliquo tem-
 pore Guilielmus Adamus liber Baro
 de Weveld utpote (ut vocant) Hoff-
 marchialis Dominus decimas Majores
 ex frumento in Pago Siniogenfi posse-
 derat: Anno autem Domini millesimo
 septingentesimo vigesimo tertio Ioan-
 nes Schnizer præfati Pagi Parochus di-
 cto Domino litem movit super jure exi-
 gendi & percipiendi has decimas intra
 fines Parochiæ suæ: Lis utrinque con-
 testata, & causa in Consistorio Eccle-
 siastico Augustæ serio discussa, ac de-
 mum Parocho adjudicata: Igitur We-
 veldus Baro coram Reverendissima Cu-
 ria Episcopali Augustana jam tertio
 comparere jubetur, qui tamen obtu-
 dit, se salvo fidelitatis juramento pa-
 rere non posse, aliunde etiam compar-
 tionem, ac negativam litem contesta-
 tionem coram alio Judice sibi ab Electro

rali Consilio Aulico Neoburgensi, & Sæc. XVIII.
 quidem sub expresse injuncta omnium A. C. 1737.
 feudorum caducitate interdictam esse:

Hæc tamen excusatio reum conven-
 tum nec ab inobedientia nec a contu-
 macia vindicabat, quocirca anno hu-
 jus sæculi vigesimo sexto contra ipsum
 a Curia Episcopali pronuntiata est sen-
 tentia, vi cujus jus in has decimas Pa-
 rocho attributum, Weveldius vero
 fructus a tempore litis perceptos resti-
 tuere, & ob contumaciam expensas
 refundere jussus est. Huic sententiæ
 oblectabatur, interposita appellatio-
 ne, Laurentius Origlia, qui agendi
 facultatem ab ipso Barone acceperat.
 Nihilominus Curia Episcopalis senten-
 tia præfato anno in Consistorio publica-
 ta & die vigesima quarta Februarii a
 Francisco Josepho Mulzero Juris Ut-
 riusque Licentiate & Curia Episcopalis
 Actuario subscripta fuit. Transfere-
 batur tamen hæc causa in Reverendis-
 simæ Cameræ Apostolicæ Tribunal,
 ad quod Guilielmus Weveld suam in-
 terposuit appellationem, qua insuper-
 habita die sexta Octobris anno hujus
 sæculi trigesimo primo, quo præfatus
 Baro Magdalenam Amaliam Baronessam
 de Bidesfeld sibi matrimonio junxe-
 rat, Mesmerus Præsul, & prædicti
 Tribunalis Locumtenens contra Guili-
 elmum

Q q 2

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

elimum definitivum decretum edicit, & Curiaë Episcopalis sententiam confirmavit, eamque executioni dari præcepit. Nec tamen propterea huic iudicio acquievit Guilielmus, sed interjectæ sue appellationi pertinacius insistit; accidit autem, ut anno hujus sæculi trigesimo quarto in gravem incideret infirmitatem, cujus violentia nil propius quam proximam præfagebat mortem. quocirca infirmus rebus familiae suæ dispositis juniorem Baron de Weveld suorum bonorum, prædii feudalis, proin & decimarum hæredem instituit, relictam autem Viduam bonorum Administratricem testamenti tabulis nominavit: litem denique circa prælatas decimas dicti Baronis Curatores, & Laurentius Origlia ejusdem Advocatus prosecuti sunt: cum vero hi lætæ sententiæ pariter acquiescere nolent, causa continuatæ hujus appellationis a summo Pontifice pluribus Sacræ Rotæ Theologis ac jureperitis mature examinanda tradita est, ut ad legitimæ sententiæ executionem procedatur, si minus causa appellationis pro valida declaretur. Discussis igitur, & serio diuque examinatis hujus causæ mentis Romæ die undecima Decembris ejusdem anni declaratum fuit, omnino procedendum esse ad legitimam tam

Augu-

Augustanæ quam Romanæ sententiæ Sæc. XVIII.
 in favorem Parochi Siningensis latæ A. C. 1737.
 executionem, ita tamen, ut præfati
 Gaiielmi Baronis defuncti Advocatis
 suas rationes denovo exponendi facul-
 tas daretur. Hæc sententia solam pe-
 tebat Viduam, quæ tamen opposuerat,
 se nonnisi triennem Siningensis præ-
 dii Administratricem fuisse, nec ream
 conventam nec ejus nomine unquam
 litem negative fuisse contestatam, mi-
 nus vero ab ea Romæ Mandatarium
 fuisse constitutum: Cum vero hæc ratio-
 nes minus validæ viderentur, die un-
 decima Januarii hoc anno hujus sæculi
 trigesimo septimo in favorem præfati
 Parochi contra dictam Viduam tertia
 jam vice pronunciatum est, intermina-
 ta etiam in contumaciæ casum anathe-
 matis pœna. Hoc Episcopalis Curiæ
 judicium finale Sacra Romana Rota
 confirmavit, & mandatum vi, ejus ad
 legitimam præfatæ sententiæ executio-
 nem procedatur, expedivit, demum
 vero die octava Aprilis executoriales
 Episcopalis judicii literas ad Episco-
 pum transmisit, hujus tenoris: „Glo-
 „riossimo Potentissimo, Invictissimo
 „& Catholico Principi Domino, Do-
 „minio Carolo sexto, divina favente
 „Clementia, electo Romanorum Im-
 „peratori semper Augusto, Imperii,
 „Reg-

Sæc. XVIII. „Regnorum aliorumque Dominorum
 A C. 1737. „vestrorum felicitis prosperitatis aug-
 „mentum, nec non Illustrissimo & Re-
 „verendissimo Domino Nuncio Apo-
 „lico in illis Partibus pro Sanctissimo
 „Domino nostro Papa & S. sede con-
 „moranti & residenti, & Archiepiscopis,
 „pis, aliisque Episcopatu Augustano
 „vicinioribus, eorumque & cujuslibet
 „ipsorum in spiritualibus & temporalibus
 „bus R. R. D. D. Vicariis & Officialibus
 „bus Generalibus &c. universis quoque
 „& singulis R. R. D. D. Abbatibus,
 „Præpositis, Decanis, Archidiaconis
 „Thesaurariis, Sacristis, cæterisque
 „dignitatibus, Presbyteris, Clericis, No-
 „tariis & Tabellionibus publicis qui-
 „buscumque per Civitatem & Diœce-
 „sin Augustanam, & alias ubilibet con-
 „stitutis, illique vel illis, ad quem vel
 „ad quos præsentis nostræ imo verius
 „Apostolicæ literæ diriguntur, perve-
 „nerint, aut præsentabuntur, quibus-
 „cumque nominibus censeantur, &
 „quacumque præfulgeant dignitate,
 „Carolus Rezzonicus Jur. V. D. Sac-
 „tissimi Domini Nostri Papæ Capella-
 „nus ac ipse Sac. Palatii Apostolici
 „causarum & Sac. Romanæ Rotæ au-
 „ditor, causæque infra scriptæ judex
 „Commissarius, vigore specialis Com-
 „missionis, de qua in actis, Apostolica
 Anto-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„Autoritate deputatus, salutem in Do-
„mino. Noveritis, quod exorta alias
„lite inter R. D. Joannem Schnizer,
„Parochum Pagi Siningensis siti in Du-
„catu Neoburgico, actorem ex una,
„& bo. mem. Guilielmum Adamum
„Liberum Baronem de Weveld reum
„conventum ex altera partibus super
„jure exigendi & percipiendi Decimas
„intra fines parochiæ Siningensis, ea-
„que discussa in ven. Consistorio Ec-
„clesiastico Augustano, prodierit inibi
„sententia, tenoris sequentis videlicet:
„In causa Decimarum majorum inter
„D. Parochum in Siningen actorem ex
„una, & D. Baronem de Weveld ut-
„pote Hoffmarchialem in dicto Siniu-
„gen reum Conventum ex altera Pa-
„tribus vertente pro tribunali sedentes,
„solumque Deum præ oculis habentes,
„decernimus, & sententiamus supra-
„dictas Decimas ad prædictum D. Pa-
„rochum pertinere, eidemque fructus
„a tempore litis perceptos restituendos,
„unacum refusione expensarum, idque
„in contumaciam. N. S. Eadem lata &
„publicata in Consistorio Augustano
„1726. die vero 24. Februarii Francis-
„cus Josephus Mulzer, I. V. Lic. Cu-
„riæ Episcopalis Augustanæ Actuarius
„in fidem subscripsit, quam quidem
„præinsertam sententiam confirmavit

Q q 4 &

Sæc. XVIII. „& exequi mandavit in gradu appella-
 A. C. 1737. „tionis interpositæ a Dom. bo. mem.
 „Libero Barone de Weveld R. P. D.
 „Mesmerus olim tribunalis Rev. Cam-
 „ræ Apostolicæ locum tenens, per suam
 „definitivam sententiam seu Decretum
 „definitivum emanatum sub die 6. Oc-
 „bris 1731. verum prædicto bo. mem.
 „Barone de Weveld nondum acquies-
 „cente, ideo causa ulterioris appella-
 „tionis commissa fuit nostro Sac. Rote
 „Auditori vigore specialis commissionis
 „Apostolicæ Nobis præsentatæ & per
 „signaturam Justitiæ prælibati Sanctissi-
 „mi Domini nostri Papæ signatæ cum
 „clausula alteri, qui ad legitimam exe-
 „cutionem procedat; sin minus cau-
 „sam appellationis cognoscat. Hinc
 „contestata inter partes colligantes
 „coram Nobis legitime lite & causa hu-
 „jusmodi, ac successive discussis & ad
 „plenum examinatis illius meritis in
 „plena Rota prodiit denique sub die 11.
 „Decembris 1733. decisio coram nobis
 „qua declaratum fuit esse procedendum
 „ad legitimam executionem præceden-
 „tium duorum conformium judicato-
 „rum favore D. R. Parochi Siningen-
 „sis promulgatorum, concessa vero
 „nova audientia defensoribus dicti D.
 „Baronis Guilielmi Adami interim de-
 „functi. Subsequenter alia emanavit
 „deci

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

„decilio sub die 11. Januarii currentis
 „anni 1737. præcedentis confirmato-
 „ria, in quarum sequelam per nostrum
 „Sac. tribunal causæ hujusmodi expe-
 „ditione opportuni Mandati de proce-
 „dendo ad legitimam executionem præ-
 „dictorum præcedentium judicatorum.
 „Nos igitur instantiæ hujusmodi tan-
 „quam justæ annuentes (citato prius
 „personaliter per cursores Romanæ Cu-
 „riæ ad omnia & singula supra expres-
 „sa & infra scripta D. Laurentio Origlia
 „tanquam Domino litis effecto per obi-
 „tum bo. mem. Guilielmi Adami Baro-
 „nis de Weveld lite pendente defuncti ac
 „servatis servandis) præsentibus nostras lit-
 „teras executoriales extra eandem Ro-
 „manam Curiam & ad partes decernen-
 „dum & relaxandum fore duximus,
 „prout decernimus & relaxamus ac ex-
 „tra Romanam Curiam & ad partes
 „expediri mandavimus & mandamus
 „per præsentibus in forma consueta. Quæ
 „omnia & singula vobis omnibus supra-
 „dictis, & vestrum cuilibet in solidum
 „committimus, insinuamus, notifica-
 „mus ac ad vestram & cujuslibet ve-
 „strum notitiam deducimus, deduci-
 „que volumus & mandamus, ne de
 „præmissis ignorantiam aliquam ullo
 „unquam tempore valeatis allegare.
 „Vosque propterea Gloriosissimum, Po-
 „tentissi-

Q q 5

„tentissi-

Sæc. XVIII. „tentissimum, invictissimum & Catho-
 A. C. 1737. „licum Principem D. D. Carolum ele-
 „ctum Romanorum Imperatorem sen-
 „per Augustum ad prædictarum nostræ
 „rum imo verius Apostolicarum litera-
 „rum executionem efficaciter adim-
 „plendam & fieri permittendam benig-
 „ne intuitu Justitiæ & ob S. Sedis
 „Apostolicæ reverentiam in Domino
 „hortamur atque rogamus. Vos veto
 „cæteros omnes, quibus præsentis dis-
 „riguntur aut præsentabuntur, requi-
 „rimus & monemus, primo, secundo,
 „tertio & peremptorie, vobisque & ve-
 „strum cuilibet in solidum committi-
 „mus, & in virtute S. obedientiæ, &
 „sub mille Ducatorum auri de Camera
 „locis piis applicandum, & pro illis
 „mandati executivi ac in juris subfi-
 „dium infra scriptis sententiis, censuris
 „& pœnis ex parte supramemorati Sane-
 „ctissimi Domini nostri Papæ præcipi-
 „endo mandamus, quatenus infra sex
 „dies post præsentationem & notifica-
 „tionem præsentium ad instantiam ex
 „parte dicti R. D. Parochi Siningee-
 „sis vigore præsentium vobis desuper
 „faciendam immediate decurrendis,
 „quorum sex dierum duos pro primo,
 „duos pro secundo, & reliquos duos
 „pro tertio & peremptorio termino ac
 „monitione Canonica vobis assignamus. Ita

„ita tamen, ut in his exequendis Sæc. XVIII.
 „unus vestrum alium non exspectet, A. C. 1737.
 „nec pro alio se excuset supra insertam
 „sententiam Ven. Consistorii Ecclesiasti-
 „ci Augustani decernentis ac declaran-
 „tis Decimas majores, de quibus agi-
 „tur ad prædictum R. D. Parochum
 „Siningensem pertinere, eidemque
 „fructus a tempore litis perceptos resti-
 „tuendos unacum refusione expensarum
 „vigore aliorum duorum judicatorum
 „hic in Curia, ut præfertur emanato-
 „rum, approbatam, & confirmatam
 „exequamini, atque ad legitimam il-
 „lius executionem omnino procedatis,
 „& ab aliis quibus opus fuerit, proce-
 „di faciatis & procuretis. Inhibemus
 „propterea vobis omnibus & singulis
 „supradictis & generaliter, quibus-
 „cumque aliis cujusvis status, gradus
 „ordinis & conditionis, illique vel il-
 „lis, ad quem vel ad quos spectat, &
 „pertinet, aut spectare & pertinere po-
 „terit, in futurum, ne quo minus
 „præmissa omnia & singula vobis, ut
 „supra ad favorem dicti R. D. Parochi
 „Siningensis Principalis vobis deman-
 „data suos plenarios sortiantur effectus,
 „impedimentum aliquod præstetis seu
 „præstent, aut impredientibus & mole-
 „stantibus in præmissis supradictum D.
 „Parochum in aliquo detis seu dent au-
 „xilium

SED XVIII. xilium, consilium, favorem directe, vel
 A. C. 1737. „indirecte publice vel occulte, mediate
 „vel immediate, quo vis sub prætextu, in-
 „genio causa vel quæsito colore. Quod
 „si forte (quod non credimus) præmis-
 „sa omnia & singula non adimpleverit-
 „tis, aut aliquid in contrarium fecerit-
 „tis, mandatisque, monitionibus, &
 „inhibitionibus nostris hujusmodi non
 „parueritis seu paruerint cum effectu
 „nos in vos & vestrum quoslibet, qui
 „in præmissis culpabiles & inobedientes
 „fueritis, seu fuerint ex nunc prout ex
 „tunc & econtra singulariter in singula
 „Excommunicationis, in capitula ve-
 „ro Conventus & Collegia suspensionis
 „a divinis, in ipsorum vero delinquenti-
 „um Ecclesias, Capellas & Monaste-
 „ria interdicti Ecclesiastici, & quoad
 „Reverendissimos supranominatos Or-
 „dinarios meritis suarum Pontificia-
 „lium dignitatum deferentes interdicti
 „ingressus Ecclesiæ, tantum sententias
 „ferimus in his scriptis, ac etiam pro-
 „mulgamus. Ad quarum quidem sen-
 „tentiarum & censurarum incursum
 „declarationem, aggravationem, re-
 „vocationem, brachiique secularis
 „facti remedia in eventum non partiti-
 „onis & adimplementi præmissorum
 „contra inobedientes & rebelles debi-
 „tis

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„tis dilationibus congruisque tempo-
 „rum intervallis præcedentibus serva-
 „ta forma Sac. Concilii Tridentini exin-
 „de procedemus, procedique curabi-
 „mus justitia mediante, absolutionem
 „vero in præmissis Nobis vel superiori
 „nostro tantummodo reservamus. In
 „quorum fidem has præsentis fieri &
 „per Notarium nostrum infra scriptum
 „subscribi & publicari mandavimus.
 „Solitoque quo in similibus utimur, si-
 „gillo communiri fecimus. Datum Ro-
 „mæ ex palatio Apostolico Quirinali &
 „in Sac. Rota sub anno a Nativitate
 „Domini nostri Jesu Christi Millesimo
 „septingentesimo trigesimo septimo, In-
 „dictione XV. die vero octava Mensis
 „Aprilis, Pontificatus autem Sanctis-
 „simi in Christo Patris & Domini nostri,
 „Domini Clementis Papæ XII. anno
 „ejus septimo, præsentibus D. D. Cy-
 „riaco Blondo, & Vincentio Cicellio
 „Connotariis, testibus habitis, voca-
 „tis, atque rogatis“.

Et quia ego Ludovicus Pinus
 Sac. Palatii Apostolici causarum,
 & Sac. Rotæ Notarius Administra-
 tor. Apostolica Autoritate depu-
 tatus Pro-Collegio D. D. dictæ
 Sac. Rotæ Connotariorum de præ-
 missis rogatus fui, ideo præsens
 publicum Instrumentum literarum
 executorialium subscripsi & publi-
 cavi requisitus.

Accep-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

Acceptis hisce literis Xaverius Antonius Haimbuecher Neoburgensis Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Petrum Canonicus, Custos ac Senior, Moguntinus Consiliarius, Apostolicus & Imperialis Protonotarius juratus publicus in Curia Romana immatriculatus die decima Octobris Curia Episcopalis nomine finalem hanc rotæ Romanæ sententiam exequi jussus est, quam etiam Viduæ Baroneßæ de Weveld insinuavit, ejusque tenore satis clare expolito, eidem ad deliberandum sufficiens præfixit tempus; quo elapso rursus præfatam declarationem & Romanum judicium prædictæ viduæ intimavit, & tertiam demum vice die decima nona ejusdem Mensis iterum hoc anno declaravit, si evoluto quadridui termino parere renuerit, abs dubio diris esse devotendam: Hæc vero allatis antea rationibus firmiter insitit, ac Neoburgensis Senatus Aulici interdicto absterita, imperata facere neglexit: Eapropter Episcopali decreto publice ac nominatim piorum communionem die octava Novembris ejecta fuit, jussumque die vigesima quarta ejusdem Mensis, ut hæc sententia per integros quindecim dies ad valvas Ecclesiæ affixa remaneret. Sacro hoc fulmine perculsa Vidua memoratum hoc Romanum Mandatum sibi

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

fibi a dicto Protonotario insinuatam remisit, palam contestata, se quidem illud ea, qua par est, veneratione prosequi, perdemisset tamen supplicare, ut hoc decretum non sibi, sed conventæ & condemnatæ parti legitime intimeretur; nec his contenta, postmodum anathematis poena jam altera vice eidem fuit interminata, ipsamet die vigesima tertia Novembris coram Notario & testibus appellationem interposuit, simulque ad testificandam suam venerationem ad Curiam Episcopalem contendit, expositisque suis rationibus humillime petiit, ut sacram Rotam Romanam pro sententiæ, ut vocant, *leuteratione* supplicando conveniendi licentiam haberet, se enim firmiter credere, Sacræ Rotæ Judicium mentem non eam fuisse, ut contra aperta jura, & adversus clarum sententiæ tenorem contra ipsam utpote Personam tertiam, inauditam, atque innocentem anathematis executione procedatur: Porro concessa hac facultate, interim usque ad ulteriorem rei discussionem a rota Romana rursus instituendam, decimarum hucusque concessarum restitutio unacum omni causa Vasallis injuncta est, eo potissimum nomine, quod die vigesima octava Novembris Episcopus Augustanus per literas a Serenissimo Ele-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Electore Palatino Manheimio datas
 manissime requisitus fuerit, ut hujus
 judicii executio usque ad recognitam
 Rotæ Romanæ decisionem differretur.
 Habita igitur hujus petitionis ratio
 rursus Viduæ Advocatus Romæ ipsius
 causam instaurabat, ac præter ratio-
 nes in Viduæ favorem jam sæpius al-
 tas, præcipue urgebat, controversas
 hæc decimas post obitum sui Martii
 non ipsi, sed ejus consobriño juniori
 Baroni de Weveld tanquam feminæ
 masculinum fuisse relictas, illam nec
 rem nec jus ad eas unquam possedisse
 nec animum possidendi habuisse, nec
 unquam proprio nomine illas, vel earum
 fructus collegisse aut percepisse
 non in eam sed in verum illarum pos-
 sessorem sententiam esse ferendam. His
 aliisque causæ meritis serio pondera-
 tis Romæ quidem decisum est, hæc de-
 cimas Parocho pleno jure esse relitu-
 endas, declarandum tamen, Viduam
 anathemate nullatenus esse irretitam.
 Hoc judicium anno sequenti die tertia
 Februarii publicatum est hoc tenore:
 „Carolus Leopoldus Calcagninus J. V.
 „D. S. S. Domini Nostri Papæ Cappel-
 „lanus & ipsius sacri Palatii Apostolici
 „causarum, ac sacræ Rotæ Romanæ
 „Decanus, & in causa & causis, ac
 „Partibus infradictis Judex Commissa-
 „rius

„rius Apostolica Autoritate speciali Sæc. XVIII.
„ter deputatus &c. Universis & singulis A. C. 1737.
„lis hoc præsens Decreti Instrumentum
„visuris, lecturis, pariter & legi audi-
„turis notum facimus & attestamur,
„quod personaliter citato coram nobis,
„pro parte Illustrissimæ & Excellentis-
„simæ Dominæ Magdalenæ Amaliæ
„liberæ Baronissæ de Weveld, natæ
„Baronissæ de Bidentfeld Principalis,
„Domino Josepho Branca ex adverso
„Procuratore assumpto R. D. Joannis
„Schnizer Parochi Pagi Siningensis
„ex adverso Principalis ad comparen-
„dum coram nobis die infra scripta &
„videndum mandari, purgari attentata
„ex adverso commissa in spretum ap-
„pellationis per Dominam instantem
„interpositæ ad S. sedem, nec non vi-
„dendum mandari circumscribi omnia
„gesta & acta facta in Consistorio Epi-
„scopali Augustano & coram illius ass.
„Judicibus super prætensa executione
„Literarum executorialium Sac. Rotæ
„alias ex adverso expedita sub die 8.
„Aprilis 1737. seu coram R. P. D. Rez-
„zonico nunc S. R. E. Cardinali & sig-
„nante decretum, seu mandatum ex-
„communicationis nulliter, temere,
„& injuste ac contra tenorem earundem
„literarum Rotalium latæ & publica-
„tæ per dictum Consistorium, ejusque
Hist. Eccles. Tom. LXXV. R. & „de-

Sæc. XVIII, „deputatum Executorem sub diebus
A. C. 1737, „octava Octobris & vigesima quarta
 „Novembris dicti anni 1737. seu contra
 „infradictam Dominam Instantem non
 „comprehensam in causa, nec in præ-
 „dictis literis Executorialibus Sac. Ro-
 „tæ & pro hujusmodi effectu mandari
 „lacerari Cedulones, seu Banna, ut
 „vocant Ecclesiastica affixa Portæ tem-
 „pli, vel cuilibet alteri loco, ac injun-
 „gi prædicto Consistorio Episcopali,
 „ejusque judicibus, quatenus iisdem
 „modo & forma, quibus prædictas cen-
 „suras & excommunicationem nulliter
 „& injuste publicari & exequi manda-
 „runt, revocent & annullent, eandem-
 „que Dominam Baronissam instantem
 „ad Communionem fidelium & primæ-
 „va jura restituant, nec non videndum
 „ipsum citatum in omnibus expensis
 „condemnari & capi quamcumque pro-
 „visionem nobis benevisam & Decre-
 „tum quodcumque fieri ad diem infra
 „scriptam; illa adveniente comparuit
 „in Judicio coram nobis Dominus Lau-
 „rentius Origlia suprascriptæ Illustrissimæ
 „& Excellentissimæ Dominæ Magdale-
 „næ Amaliæ liberæ Baronissæ de We-
 „veld natæ Baronissæ de Bidentfeld
 „principalis legitimus procurator, &
 „institit, ut supra ex tunc nos quoad
 „attentata, docto de eisdem & intima-
 „to

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„to per dies quinque ante mandavimus
 „illa purgari, quod vero ad prætenfas
 „censuras sive Bannum Ecclesiasticum
 „declaravimus illas & illud nullas, ir-
 „ritas, & invalidas, ac respective nul-
 „lum irritum, & invalidum, ac si nun-
 „quam latae, promulgatae, ac affixae,
 „ac respective latum promulgatum &
 „affixum non fuisset, & pro hujusmo-
 „di effectu commisimus atque manda-
 „vimus omnibus & quibuscumque Per-
 „sonis, in quacumque Ecclesiastica dig-
 „nitate constitutis, quibus hoc præ-
 „sens nostrum Decreti Instrumentum
 „ostensum & præsentatum fuerit, ut in
 „eisdem locis, in quibus publicatum
 „sive affixum fuit præfatum Bannum,
 „ac respective latae & publicatae fue-
 „runt præfatæ censuræ Ecclesiasticæ
 „excommunicationis contra Illustrissi-
 „mam Dominam Instantem, ac in aliis
 „quibuscumque locis, ubi opus fuerit
 „& quando ac quoties pro parte dictæ
 „Dominæ Instantis fuerint requisiti,
 „seu alter ipsorum fuerit requisitus,
 „publicent & declarent ac declarari &
 „publicari faciant easdem censuras ex-
 „communicationis, & respective Ban-
 „num Ecclesiasticum fuisse, & esse at-
 „que ab initio nullas, irritas, & inva-
 „lidas, ac respective nullum irritum &
 „invalidum, ac haberi & reputari, ac
 „si

R r 2

Sæc. XVIII. „si nunquam latæ & publicatæ fuissent
A. C. 1737. „præsente dicto Do. Branca omni &c.
 „quæ omnia, & singula vobis omni-
 „bus & singulis supradictis & vestrum
 „cuilibet notificamus, ne de eis igno-
 „rantiam allegare valeatis. In quorum
 „fidem has præsentes fieri & per Nota-
 „rium nostrum infra scriptum subscribitur
 „& publicari mandavimus, sigilloque
 „solito muniri iussimus. Datum Romæ
 „ex Palatio nostræ Residentiæ sub ar-
 „no Millesimo septingentesimo trigesimo
 „octavo, indictione prima, die vero
 „tertia Februarii, Pontificatus autem
 „Sanctissimi Domini Nostri Papæ XII.
 „Anno ejus VIII. Præsentibus D. D.
 „*Vincentio Cicellio & Philippo Casaria*
 „Connot. testibus.

Ego Ludovicus Pinus Sacri
 Palatii Apostolici Caesarum & Sa-
 cræ Rotæ Notarius pro Collegio
 DDorum Con - Notariorum de
 præmissis rogatus præsens Instru-
 mentum Decreti subscripsi & publi-
 cavi Requisitus.

§. XXXII.

*Historia de Wertheimensi Bibliothecæ
 versione.*

In apertas flammæ hoc anno talis eru-
 pit contentio, quæ ferme unicum
 om-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

omnium Sectariorum fulcrum ac fundamentum evertere videbatur : Illius narrationem, quam verissime fas erit, ab ovo, ut ajunt, accersam, & ad mala, nullis ambagibus perducam. Sic autem ea res, quemadmodum subiiciam, se habuit. Joannes Laurentius (seu ut alii volunt) Leonardus Schmid absolutis Hallæ studiis a Lövensteinio-Wertheimensi Comite erudiendo juniori ejus Filio datus erat : ibi subcisivas plures horas nactus, quod a magisterio suo subtrahere poterat, id omne disciplinis Mathematicis, & Theologiæ studio impendit, tam felici, ut sibi blandiebatur successu, ut certa, clara, & efficacia illa argumenta, quæ sibi in Scholis Lutheranis, ut talia venditabantur, in sana Theologia incassum quæri detegeret simulque non sine animi suo dolore perspectum haberet, fidei veritates apud multos ob hanc causam contemni, & acerrime oppugnari: Infaustam hanc Religionis suæ sortem misertus, secum statuit, has veritates clare proponere, huncque finem assequendi studio præcipue *irrefutabilem* Bibliorum versionem concinnare. Jam ante quinquenium incepere montes parturire, & primo nascebatur vastissimi operis prospectus, in quo Orbi Christiano fucum fecerat, se proxime Biblicos lib-

R r 3

ros

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

*Apologia l.
vers. 1736.
pag. 5.*

ros Germani idiomatis puritate inlignes editurum, additis annotationibus, in quibus S. Scripturæ textus cum suis fontibus conferrentur, eorumque harmonia ex claris demonstrationibus comprobaretur: Jactabat insuper Auctor hanc versionem prospera sorte a Doctorum præcipuis maximo applausu fuisse commendatam. Porro operosum hunc laborem suis humeris imponendi illam fuisse causam deprædicabat, quod in Lutheri versione nil nisi obscuritas dominetur, ac propterea jam potissimi neglecta ipsius versione Wertheimensem ingenti gaudio perlustrent. Anno hujus sæculi trigesimo quinto prima pars in duos tomulos divisa publicam lucem aspexit nitidissimo charactere, regia charta elegantissime excusa, ac in fronte & in calce cujuslibet tomi Iconismo Norimbergæ arte celebris Tyroffi chalcographi jam ante biennium æri inciso exornata. Vix unquam ullus alius ingenii partus Orbem literarium infausto magis varioque fato ingressus est, quam hæc Bibliorum versio; diversum erat inter Protestantes pro affectuum diversitate judicium: non deerant illius vindices, nec pariter morosi mastiges, qui criticis ac hermeneuticis microscopiis non modo foedas in hac versione maculas detere-

re, sed etiam versionis a Luthero factæ, & hucusque pro sola authentica canonisatæ authoritatem, imo etiam totius Lutheranæ religionis fundamentum everti præ sagiebant, exclamantes: *Hannibal ante portas.* Nec id abs re sibi, suæque Ecclesiæ timuerunt Lutherani. siquidem inter fundamentales suæ fidei articulos primus ac præcipuus est, quod sola S. Scriptura sit unicus & infallibilis in controversiis Judex, norma & regula credendi: Si ita est, hæc regula debet esse certa, integra, & infallibilis, & non depravata, non mutilata, non variata in essentialibus: necesse insuper est, ut exstet ejusmodi scriptura, seu Biblia, quibus competunt dictæ dotes, scilicet, quod sit certa &c. necesse quoque est, ut exstent & semper a primo Religionis exordio exstiterint non vaga, sed, ut ajunt, in individuo designata & determinata ejusmodi Biblia, quæ omnibus hujus Religionis aſſeclis sint passim intelligibilia & usualia, ita ut verum sit dicere, hæc sunt vera, & non mutilata sed integra Biblia; certum quoque esse fidelibus debet, quod in hisce Bibliis determinatis &c. immutatum, purum, atque integrum Dei Verbum, quin aliquid essentialia sit additum vel demptum, contineatur: Ex his vero

R r 4

sup-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Theologi:
sche Nach:
richt. Bey:
tråg. I. V.
anno 1736.
n. 4. f. 11.

Sæc. XVIII. A. C. 1737. suppositis sequi videtur, quod in Religionē Lutherana vel nunquam extiterint Biblia determinata, vel quod duntaxat Catholicorum Biblia sint vera, immutata, integra & certa, proin Dei Verbum integrum & purum continentia. Simus enim ad tempus omnino liberales, & ponamus, Lutheranae sectæ exordium a primis Ecclesiæ sæculis repeti posse, eamque ad hunc usque diem esse continuatam: toto tamen longoque hoc temporis intervallo nulla omnino extiterit, & nec per somnium excogitari ac designari ulla possunt Biblia, quæ in omnibus & quidem in essentialibus integre consensissent cum illis, quæ hodie a Lutheri reformatione multiplicia pro Lutheranorum regula, ac veris Bibliis habentur: necesse enim foret, quod Lutherani ante Lutheri tempora vel habuerint Biblia hebraica, Chaldaica, Syriaca V. T. & Græca N. T. ast horum idiomatum ex ipsis doctioribus tum gnari erant longe paucissimi, vel passim usi fuerunt vulgata, aut ad vulgatæ fidem in diversas linguas traducta, sed hanc Lutherus suos docuit fuisse semper vitiosam, corruptam, depravatam, & plurimis fastidibus turgidam, ergo Lutherani ante Lutherum vel nulla habuere Biblia, vel si habuerunt, erant aut depravata, aut longe

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

longe potissimis non intelligibilia. Quales autem Religio, quales fideles, quibus unica norma & regula credendi erat liber vel depravatus, vel quo non nisi paucissimi, etsi voluissent ceteri, uti non poterant? Tenebantur ergo pro Regula suæ fidei habere illam, quam vel ignorabant, vel quæ regula non erat, utpote corrupta. Fors magis prospera erat fors Filiorum a suo Protoparente recta linea descendantium? Enimvero Lutherus, qui semetipsum Christi Domini Evangelistam vocat, Vulgatam tot sæculis ab universa Ecclesia, totoque in Orbe receptam emendare aggressus, Sacram scripturam in Teutonicum idioma transtulit, & quidem ad Vetus Testamentum juxta veterem Germanicam versionem Judaicam hebraicis literis scriptam, seu, ut testatur Hieronymus Emserus, Picardicam seu Hussiticam, ad vertendum vero novum Testamentum Græca Erasmi, Aldi, Gerbelli &c. aliisque editionibus usus est, operam etiam adhibuit Caspar Cruciger, qui hebraice balbutire didicerat. Hoc opus Lutherus anno 1534. tam inauspicato absolverat, & tamen ob gloriosum hoc Lutheranæ sectæ Palladium ejus sectatores annuam Biblicæ hujus versionis festivitatem celebrant, imo in concinnando hoc

R r 5 opere

Sæc. XVIII. opere Hieronymus Wellerus, & Eras-
 A. C. 1737. mus Alberus *Lutherum spiritu & virtu-*
te Eliæ parem, dono interpretationis pa-
rem Apostolo Paulo facere non dubita-
 bant. Crederes utique a tanto Viro
 tandem suis propinata esse Biblia, in
 quibus quilibet Lutheranus saltem
 viffimis hisce temporibus, Verbum Dei
 incorruptum, purum, integrum, ac mi-
 nime depravatam contineri, tuto ac
 certo credere possit: Cum enim hæc
 Biblia per Lutherum dono Interpreta-
 tionis Apostolicæ præditum veris cui-
 libet Lutherano sint unica, & infalli-
 bilis fidei suæ regula, necesse est, ut
 his dotibus & prærogativis ea inlares-
 cere, notum, certumque sit; quæ enim
 alia Biblia saltem ii, qui præter Germa-
 nicum idioma nullum aliud intellexerunt
 aut intelligunt, per ducentos ferme an-
 nos pro infallibili fidei regula habuis-
 sent, ex quibus fidei dogmata per Verbum
 Dei probare, suaque dubia aut contro-
 versias dissolvere, & conscientiæ anxie-
 tates sedare potuissent? fors consulere
 debuissent alias versiones Germanicas?
 verum hæc omnes non tam manifesto
 infallibilitatis & unicæ ac certæ Regule
 caractere præditæ sunt, ac illa, quæ
 concinnata fuit, a Viro, qui *Dei orga-*
num, Spiritu & veritate par fuit Eliæ,
dono interpretationis par Apostolo Paulo.
 Ergo

Vid. Præf.
ad opera
Luth. Lips.
pag. 3.

Ergo vel hanc vel nullam habent fidei Sæc. XVIII.
 Regulam, vel vulgatam recipere te- A. C. 1737.
 nentur: Lutheri autem versionem cer-
 tam & infallibilem esse Regulam, seu
 certo Verbum Dei purum & integrum
 continere, quis credat? postquam ip-
 semet Lutherus cum toto suo Interpre-
 tationis dono, de versionis suæ purita-
 te ac integritate diffidit, & Evangeli-
 ca prorsus modestia asseruit, *quantum* Tom. V.
certo sudoris & laboris res sit versio, pro- Jen. fol.
be expertus sum, ac propterea hac in re nul- 164. anno
los Papa-Asinos, qui nihil tentarunt, pro 1557.
judice aut censore admitto: qui versionem
meam non vult, relinquat eam, si quis eam
respuit, aut me invito vel inscio corrigit,
mercedem habeat a diabolo, si correctione
indiget, ipse corrigam, & nisi correxero
intacta relinquatur mea versio, quilibet fa-
ciat quicquid pro semetipso velit, & ei feli-
cem exopto annum. Haud absimilia Lu-
 therus sæpius in variis locis repetit,
 qui magis tamen laudandus foret, si
 etiam ingenue fassus fuisset, quod non
 raro Sacræ Scripturæ textus, sicut Ag-
 aso Asinum, quo vult, auribus attra-
 hit, ita crinibus ut ajunt, ad stabilien-
 da sua commenta attraxerit, integros
 libros sibi contrarios ex albo expunxe-
 rit, Spiritus Sancti verbis & menti
 contrarios sensus affinixerit, & prout
 libuit, pro supremo sui in S. Scriptu-
 ram

Sæc. XVII.

A. C. 1737.

*Concl. in
vers. N. T.
Frib. anno
1534. annot.
in Luth. N.
T. pag. 3.*

ram imperio aut verius tyrannide alii
addiderit, alia dempserit, & uti anno-
tavit Embserus, in sola ejus versione
novi Testamenti errores sexcentos ac
septem commiserit, quædam ex suo
addiderit, alia dempserit, & textus
per falsas interpretationes ad perver-
sum sensum detorserit. Quis ergo
Biblia tam fæde corrupta, ad arbitrium
unius hominis privati contra universa
lis Ecclesiæ auctoritatem & usum per
tot retro sæcula consolidatum deprava-
ta pro puro, integro, & incontamina-
to Verbo Dei, proin pro certa, ac in-
fallibili regula habeat? Haud diffite-
mur insanum esse, fidem suam funda-
re in certa versione hominis, de cujus
infallibilitate nec umbra existat: attamen
omnino necessarium est, ut *rudēs Lu-
therani*, quorum potissima pars est, de
existentia, veritate & integritate Bib-
liorum, quæ singulis pro Regula tra-
ditur, certi sint, cum autem ipsi per
200. ferme annos nulla alia, nisi prout
a *Luthero* versa erant, possederint, hæc
vero enormiter a *Luthero* corrupta fue-
rint, falsa utuntur Regula, & fidem
suam, suaque dogmata, si ex scriptu-
ris probare vellent aut deberent, non nisi
ex Bibliis corruptis probare possent;
aliam enim puriorem non habent, cum
illam, quæ universali & infallibili Ec-
clesiæ

clesiæ judicio approbata est, reiiciant. **Sæc. XVIII.**
 Incassum ergo clamat Lutherus, ejus- **A. C. 1737.**
 que sequaces: *Verbum Dei, Verbum*
Dei! cum ipsemet eis Verbum Dei ab-
 stulerit, & non nisi arbitrariam homi-
 nis interpretationem, hancque vitio-
 sam substituerit, ac reliquerit. Hanc
 fallaciam ipsimet Protestantes pretioso
 huic Dei organo, & Christi Domini
 ori (ita Lutherus semetipsum vocare
 ausus est) sæpius & sine ambage ex-
 probrare haud dubitabant. Sic Osiander
 vivente adhuc Luthero plures erro- **Tischred.**
 res ex ejus versione expunxit, ac prop- **Franc. 1568.**
 terea illum in rabiem concitavit. Por- **tit. 22. pag.**
 ro ad has Lutheri depravationes præ **193.**
 ceteris revocatur impudentia, qua tex-
 tum S. Pauli ad Rom. c. 3. v. 28. cor-
 ruptit in essentiali articulo de fide &
 operibus, addendo particulam *solam*,
 cum tamen ea nec in textu Græco nec
 alibi legatur: λογίζομεθα οὖν, πιστι δι-
 καιοῦσθαι ἀνθρώπων χωρὶς ἔργων νόμου. Ita
 sonat textus. Inaudita hæc temeri-
 tas, summaque Lutheri protervia jam
 tum non modo Catholicis sed etiam ejus
 Sectatoribus summopere displicuit, in-
 super ei illud Deuter. 4. & Apoc. 22. v.
 18. acriter objecerunt, contra quos ta-
 men Lutherus consueta sua moderatio-
 ne tyrannicum suum in S. Scripturas
 imperium his verbis vindicabat: *Si vester*
Papista

Sæc. XVIII. *Papista multas tricas excitare vult* propter
 A. C. 1737. *verbum: SOLAM, illico respondete ei: Do-*

tor *Martinus Lutherus ita vult, dicitque*
 Tom. V. *Papista & Asinus unum sunt, sic volo, si*
 Jen. p. 162. *jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus*
 & seqq. *eidem Papistarum Discipulus sed & eorum*

Magister ac iudex esse, & semet voluntas
jaçtitare, & cum Asininis hisce capitiut
superbire &c. hæc respondete, & roga eum,
ut hisce Asinis nec aliud nec plura ad insti-
les eorum rugitus de verbo SOLA responde-
tis, quam hæc: LUTHERUS SIC PRÆCI-
PIT, dicitque, se esse Doctorem omnium
Doctoribus in toto Papatu Superiorem, sic
statutum est, & deinceps eos contemno &
contemnam, quamdiu tales sunt homines,
id est, tales Asini. Probe noveram, quod
Rom. 3. tam in latino quam Græco dictum
Verbum SOLA non inveniatur, nec opor-
erat, ut id a Papistis addiscerem. Sed per-
nitet me, non etiam addidisse, OMNIA &
OMNIUM scilicet, sine OMNIBUS operibus
OMNIUM legum: hinc hoc verbum in meo
novo Testamento relinquatur, et si omnes
Pontifices ad Asininam rabiem & insaniam
prolaberentur, nihil tamen a me imetra-

Tom. 5. Jen. hunt. . . . Cum videam, quod *Diaco-*
 fol. 316. *lus hunc essentialium articulum semper per*
porcinos suos Doctores allatret, & non
cessare velit, declaro ego Doctorem Martinum
Luther indignum Domini nostri Jesu Chri-
sti Evangelista, ut Romanus Imperator,
 Major

Mahometanus Imperator, Tartariæ Imperator, Persiæ Imperator, Pontifex, omnes Cardinales, Episcopi, Sacrificuli, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini & universus Orbis cum omnibus Diabolis hunc articulum de FIDE SOLA intactum relinquunt, & infernales carbones suis capitibus impositos habeant, hæc est mea Doctoris Lutheri inspiratio a Sancto & purum Sanctumque Evangelium. An quid Theologi magis insulsum, petulans ac Sacrilegum honestæ aures percipere possent, valde dubito: Saltem ex his constat, his Sectatoribus Regulam fidei non esse Biblia, sed Lutheri voluntatem, quæ staret pro ratione. Hinc Theobaldus Themerus Marpurgensis Præco publice edixit, nolle se quicquam audire de verbo sola, quam exclusivam Lutherus non sine plurium animarum ruina Rom. 3. assuere non abhorruit, promeruitque, ut germana ejus versio damnaretur, & per carnificem combureretur. Sileo ab eodem Luthero præfatæ epist. ad Rom. versui 20. additum verbum: Solummodo: item hæc verba 1. Cor. 9. v. 5. mulierem sororem circumducendi &c. perverse translata in illa: mulierem circumducendi in uxorem &c. Haud ignoro Lutheranos affirmare, nullum sibi salutis periculum esse timendum, etsi hos S. Scripturæ textus in perverso sensu, quo

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Theologi-
sche Samm-
lungen.
1736. 5.
Beytråg.
pag. 564.

Sæc. XVIII. quo illos Lutheri versio eis propinavit
A. C. 1737. intelligerent: attamen id verum, haud
 esse autumo, quando sensus Lutheranae interpretationi contrarius de fide
 est, v. g. dum Lutherus *soli* fidei justificationem adscripsit, & doctrinam seu
 dogma de sola fide justificante, quam fundamentalem suæ novæ Religionis lapidem posuit, cum tamen S.
 Scriptura claris & disertis verbis contrarium sæpius statuatur, v. g. Epist. ad
 Jacob. 2. v. 25. *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* S. Petri II. c. I. v. 10. *fatigati, ut per bona opera certam vocationem & electionem faciatis.* Nempe
 Lutherus suum dogma verbis S. Jacobi damnari sciebat, imo ab ipsis suis
 amicis desuper objurgatus erat: mox tamen huic nodo cuneum adinvenit,
 dum ea temeritate, qua V. T. libros Tobiae, Judithi, Sapientiae, Ecclesiastici,
 Baruch & Machabæorum ex Canone expunxit, hanc quoque rejecit, &
Stramineam vocavit, in quo tamen iudicio & Epistolæ contemptu Lutherum
 vel maxime errasse, fatetur Pfaffius in
 sua instruct. necess. Quæst. 32. p. 589.
 Propter tam crassos errores, salutates ac depravationes ferendo impares
 Lutheri Sectatores rejecta ejusdem versione de aliis cogitabant versionibus.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

& primo quidem Sebaldus Münsterus Norimbergensis ex textu originali novam Wittenbergæ jam anno 1529. pro-
 cudit: causam vero suscepti laboris hanc in præstatione assignavit: *Cum ita deformatus esset Moses, ut non posset emendari, nisi collatus ad hebraicam lectionem, præsertim cum deessent nobis antiqui Codices, hic obiter inter conferendum animadvertimus, interdum etiam interpretem (Lutherum) non satis oculatum fuisse: quam cum interpretatio plerisque locis mutanda esset, nova propemodum translatio nata est. . . . Hoc polliceri bona fide possumus, Moysen accurate recognitum esse, cum antea (per Lutheri versionem) mirabiliter mendosus fuerit. Pariter anno 1565. Paulus Eberus & Immanuel Tremelius 1575. novam adornarunt versionem, eo quod illa Lutheri eis suspecta visa fuerit Goclenius quoque testatur Lutheri versionem in rebus maximi momenti non semper approbari posse. Anno 1665. Joannes Saubert Lutheri versionem per novam suam correxit, & 1704. Paulus Treuen illam emendavit, ac mutilavit, 1724. per Berlenburgensem versionem versio Lutherana penitus neglecta fuit. Anno 1729. Christophorus Pfaffius aliam edidit Bibliorum versionem, in qua subinde a versione Lutheri recessit, & propriæ suæ interpretationi*
Hist. Eccles. Tom. LXXV. S s tioni

Sæc. XVIII. A. C. 1737. tioni inhæsit. Insuper Guilielmo Bartholomæo Vinariensi Præcone teste,

Acta Hist. Eccl. tom. 20. pag. 215. Bohemi Fratres jam dudum de Lutheri versione querebantur, melioremque conficere adlaborabant, & Zinsendorffius Comes eorum Protoparochus testabatur, se deprehendere, quod Lutherus judicavit, textui non adhærendum, & obscurus est, & per accuratam versionem magis intricatus redderetur, insignis enim hic Theologus, ut cetera silentio præteram, in solo capite X. ad Rom. plusquam viginti a textu recessit: Budæus etiam late-

Instruct. Bibl. p. 37. tur, quod Lutheri versio non in omnibus originali textui consonet, & Christophorus Heyman deplorat, quod in Lutherana Ecclesia nondum sit peracta commentatio in totam S. Scripturam, & Bergerus dolet quod Biblia suis numeris absoluta apud Lutheranos adhuc desiderentur, & alii anxie votis petebant, ut post clariorem Hebrææ & Græcæ linguæ notitiam & antiquitatum cognitionem aliaque S. Scripturæ intelligendæ subsidia Lutheri versio denuo diligenter ad originalem textum recognosceretur, imo Fridericus Maier de abroganda Lutheri versione agebat & suadebat duntaxat, ut ne tequam ad extremum illud de extirpando versione Lutheri usu Ecclesiæ Lutheranae deveniant, longe melius fuerit, publice

*maximorum Principum auspiciis, Theolo- Soc. XVIII.
 gor Doctos, linguarumque peritos convo- A. C. 1737.
 cari, a quibus Lutheri versio cum fontibus
 demo conferatur, denique Reineccius &
 Zacharias Riyand deplorarunt, quod post
 Lutheri mortem omnia ejus biblia non
 modo in verbis sed & in sententiis de-
 pravata prodierint. En! qualia Bib-
 lia Lutherani haberent! Miseret me tui
 bone Lutheri! Filios enutristi, & ipsi
 te spernunt, & qui te spernunt, alios
 (rudiores) tamen adigunt, ut te tan-
 quam infallibilem Christi Evangelistam,
 Spiritus S. Organum, os Christi, &
 pretiosum Dei instrumentum veneren-
 tur, & sine hæsitacione tuam versio-
 nem, quali Verbum Divinum integre
 & pure contineret, amplectantur. Num
 adhucdum de tua versione jactabun-
 dus asserere audes, te certum esse, quod
 verbum tuum non sit tuum sed Christi ver-
 bum, proin os tuam sit illius, cujus Ver-
 bum loqueris, & quod, dum adhuc Genti-
 lium Ecclesia vigit, nulla exsiterint Bib- Tom. II.
 lia, quæ tam prompte, tam dilucide, tam Gen. p. 49.
 tuto & sine offendiculo perlegi potuissent, 1555.
 ac in Bibliis Witenbergæ tunc editis, & Tischen-
 nunc in Germanicum idioma translatis? tit. 1. f. 1.
 His bene ponderatis judicari potest,
 quam merito Lutherani gloriantur, de
 promiscuo Bibliorum usu, & de Dei
 Verbo tanquam unica religionis suæ
 S s 2 nor-*

Sec. XVIII.
A. C. 1737.

Lib. de Civit.
cap. 17. art.
27.

L. de mundi
Reli part.
12. fol. 113.
510.

norma, ac Iudice infallibili: Profecto
oculationes Sectarii sat amare deplorarunt, ingentia Ecclesiae suae damna, quae ex communi & libera S. Scripturam legendi ac interpretandi libertate non modo eorum Ecclesiis, sed & profano Imperio accessere: Audiamus iter alios Thomam Hobbesium, si inquit ipse, singulorum civium est, Scripturam Sacram interpretari sibi, hoc est, si quisque Iudicem se faciat, quid Deo placeat, quid displiceat, non ante Principum obedire possent, quam ipsi de mandatis eorum, utrum conformia sint Scripturae, necne judicaverint. Sed hinc fiet, ut vel non obediant vel obediant propter iudicium proprium, hoc est, sibi obediant, non Civitati: Quae simul omnis Societas & pax humana turbetur. En! quam nocivum etiam statui Politico sit hoc Lutheri dogma: Unde insuper Ecclesiae ac disciplinae suae nam caussari, ingemiscit Alexander Ross Anglus his verbis: *Ex his aliisque impiis opinionibus, quae hodie inter nos tolerantur, ac defenduntur, videmus, quomodo prolapsa sit Christi his locis religio, ubi tanta quondam pietate, Zeloque esset servata. Nos Christianam Religionem inter gentes Europaeos amplexi sumus, neque cuiquam populorum devotione, ac Zelo nos concessisse, tot Tempora, Cœnobita Sacra, Collegia, Scholae testari poterunt, sed quanta*

tum nunc pro dolor! ab illis mutati sumus, quod quid superest nisi mera Religionis larva? ipsa per tot hæreses, & blasphemias consumpta veritate ac vitæ substantia. Hi fructus sunt, & consequentiæ ex SS. Scripturarum lectione per ignorantes, improbosque Spiritus tentata.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XXXIII.

Wertheimensis versionis fata.

Quamprimum Auctor novam suam Pentateuchi versionem vulgaverat, ingens inter Protestantes altercatio ac tumultus oriebatur; Lipsienses hanc versionem additasque notas plurimum commendabant, eoquod Auctor Hebraïsmos paucioribus verbis Teutonicis scite expressisset, cum Originali textu miram harmoniam & hebraicos accentus sedulo observasset, hæcque versio ob idiomatis germani puritatem longe Lutheri versioni præstaret, carpebant tamen, quod cantica Moysis minus poeticum sonum præferrent, & vaticiniis de Christo non nihil roboris ademptum fuisse videretur. Wertheimenses quoque salutare Auctoris consilium ad astra ferebant, præcipue, cum in hac versione Divinæ veritates solidiori fundamento stabilirentur, &

S s 3

rigi-

Sæc. XVIII. rigidissimæ criseos leges exactissime ob
 A. C. 1737. servatæ, ac per innumeras pene dilu-
 cidationes ad veritatis cognitionem
 clarissimum lumen additum fuisset. Ita
 censebant hi. Longe aliter judicabant
 alii Protestantes, atque inter eos præ-
 cipue Joachim Langius Hallensis Pro-
 fessor, qui jam anno hujus sæculi
 gesimo quinto in suo *Philosophico Reli-
 gionis Illusore* (quo nomine verborum
 Auctorem honorabat) hujus verborum
 perversitatem detexit, ostenditque in
 prima ejus sectione, versorem nihil aliud
 pernicioso suo opere intendisse, quam
 totius Lutheranz Religionis fundamen-
 ta evertere, pro suo libitu quædam
 (ad imitationem Lutheri) addidisse,
 alia omisisse, immutasse, & verba ad
 ingenii sui imperium detorsisse. Hac
 potissimum arte usum fuisse in illis tex-
 tibus, in quibus de mysterio SS. Tri-
 nitatis, & de Christi Mediatoris mi-
 nere ageretur, & vaticinia in libris
 Moylis contenta de Christo & ejus Di-
 vinitate enervasse, ac Spiritum San-
 ctum penitus eliminasse: Præterea in
 versoris præfatione carpebat Langius
 falsam ipsius Regulam hermeneuti-
 cam, scilicet *primum Auctorem ex se ipso
 esse intelligendum, nec verborum suorum
 sensum a sequentibus scriptis esse haurien-
 dum*, proin juxta versorem Moylis li-
 bros

broſ non fore dilucidandos ex Prophe- Sæc. XVIII.
 tis & Apoſtoliſ. Inſuper ſugillabat Lan- A. C. 1737.
 giuſ, quod Auctoſ ſcripſiſſet, ſacram
 Scripturam apud Judæoſ nulliuſ ferme
 auctoſitatuſ fuiſſe, hancque nationem
 veritatuſ indagatiõnem neglexiſſe,
 & apud aliaſ Nationeſ adeo flocci ha-
 bitaſ fuiſſe S. Scripturaſ, ut Græci &
 Romani ante Evangelii prædicationem
 ſibi duntaxat quaſdam veritateſ ſtabi-
 liſſent, quaſ tamen cum Chriſtianæ
 Religioniſ fundamentiſ combinare non
 potuerint, & tandem Religioniſ Chri-
 ſtianæ incrementuſ rudis plebiſ ſtoli-
 ditati adſcribenduſ ſit, indeque fac-
 tum, ut hi ſeductoſeſ nova hæc dog-
 mata acceptare coacti fuerint, & fa-
 moſi illi Religioniſ Chriſtianæ Apolo-
 getæ ſufficientibuſ fundamentiſ carue-
 rint, hacque demum ratione hæc Re-
 ligio invaluerit. In quo plane Verſor
 Wertheimendiſ ſædioreſ blaſphemiaſ,
 quam olim Lucianuſ, contra Religio-
 nem Chriſtianam evomuit.

In altera ſectiõne Langiuſ demon-
 ſtratuſ iſtat, quod nova hæc verſio ex
 nova Mechanica Philoſophia profluxe-
 rit, eaque Auctoſem ad Religioniſ ir-
 riſionem induxerit, id ſat luculenter
 prodidiſſe Wertheimendiſem in ſua præ-
 ſatione, necnon in ejuſ annotatione ad

Sæc. XVIII Pharaonis obstinationem, quam ex or-
A. C. 1737 nium rerum nexu deduxit; inde vero
 infert Langius, quam ingens malum
 ac Religionis excidium ex hac Philo-
 sophia enascatur. Eadem occasione ve-
 hementer declamabat contra Carpe-
 vium Jenensem, qui tractatum de pi-
 ritate Personarum in Deo, ex solis rationis
 principii demonstrata conscripserat. Et
 super Academia Jenensis contra Wer-
 heimensem versionem edito prograti-
 te, cui titulus: *Meditatio natalitia exhibens breves in Pentateuchum Wertheimensem depravatam stricturas, & præcipuorum quorundam locorum de Messia vindicias*, necnon illam Oderus quoque Onoldius suo *sincero Pistopholio* impugnabant, præcipue eo nomine, quod Verfor Biblica miracula inter extraordinaria phœnomena, & singulares effectus numeret, & sacra Biblia & Prophetias pro Divinis libris ab Ethnicis non fuisse habitas, Patriarchas & Israelitas Davidis & Salomonis tempore non nisi stultos viros fuisse, & sine judicio sacros libros recepisse, Græcos quidem & Romanos de Bibliis judicando pares fuisse, rudem tamen plebem in sua incertitia studiose reliquisse, hacque ratione Bibliorum auctoritatem invaluisse affereret.

Verum

Verum ad hæc objecta haud siluit Sæc. XVIII.
 Wertheimensis Verfor; quippe eodem A. C. 1737.
 anno die trigesima Octobris librum edi-
 dit, cui titulus: *Invicta intellectus &*
Religionis veritas contra Joachimum Lan-
gium defensa prænotatur: In hoc opere
 suam regulam propugnat, ostenditque
 quemlibet Auctorem ex suis propriis
 verbis intelligendum esse, secus vel
 non sincere scripsisset, vel nullatenus
 intelligi potuisset, si lectores pro intel-
 ligendo ejus libro alium tempore poste-
 riorem Auctorem expectare debuissent:
 perfectam versionem eam esse, in qua
 non verba sed verborum sensus & signi-
 ficatio exprimeretur, Philosophiam esse
 medium dilucidandæ S. Scripturæ,
 eoquod per Philosophiam ex certis notio-
 nibus certæ conclusiones fiant, & ha-
 rum connexio demonstrari possit, sic-
 que homines ad convincentem verita-
 tis cognitionem illiusque exercitium
 inducantur, hæcque sit emphasis Di-
 vinarum veritatum. Firmiter etiam
 insistit huic Wolfiano principio: *in toto*
Orbe unicum casum esse possibilem, quo res
ad effectum perveniri queat, rerumque pos-
sibilitatem nullatenus voluntati Divinæ sub-
jectam esse: ad Gen. 3. propugnat, quod
 si Messias & Diabolus inter se inimici-
 tias habuissent, necesse foret, eos
 prius fuisse amicos. Paulum ad Galat.

Sæc. XVIII. 3. v. 28. non alia de semine Abrahæ
 A. C. 1737. sensisse, quam Moysen: stellam ex Ja-
 cob fuisse Nabucadnezarum &c. Moysen
 juxta rudem suum stylium verbum
 usum fuisse, ex quibus Deo imperfec-
 tiones attribui videntur, v. g. descen-
 dere in terram, hominum corda ob-
 durare, minari sine effectu, irasci,
 pænitere &c. ex his autem ansam præ-
 beri, credendi, Deum non esse Aucto-
 rem S. Scripturæ, igitur ad præver-
 tendam hanc suspensionem se suas an-
 notationes, & clarum ejusmodi sen-
 sum exhibuisse, & mysteria claris ver-
 bis & Divinæ perfectioni ac veritati
 congruis explicasse, ac demum osten-
 disse, quod etsi Moyses de Christo va-
 ticia protulisset, ea tamen ex ejus
 verbis eorumque sensu deduci non pos-
 se &c.

Attamen contra Wertheimensem
 hunc versorem insuper Abichtus Wit-
 tenbergensis calamum suum eodem an-
 no acuit, atque inter ejus errores nu-
 meravit. I. Quod cap. 1. asserat, Moy-
 sen c. 1. v. 16. in plurali juxta morem
 idololatrarum locutum fuisse, cum ta-
 men juratus Idololatriæ hostis fuisset.
 II. Quod perperam hæc verba: *reputa-
 tum est illi ad Justitiam c. 15. v. 16. ita
 verterit. Deus id accepit tanquam sua
 Religionis argumentum: in hac autem
 ver-*

versione fuisse secutum Socinianos, qui Sæc. XVIII.
 credunt: *obedientiam fidei a Deo accepta-
 ri. III. Quod nomen *Jehovæ* Gen. c. A. C. 1737.*

19. v. 24 seu *Domini*, male interpreta-
 tus fuisset per verbum *Angeli*, & Deum
 per aerem. IV. Quod hæc verba: *Bene-*
dicerentur in semine tuo &c. intellexerit de
 mera fortuna, & verbum *tuo* omiserit,
 & alia verba addiderit &c.

Præter hæc scripta insuper tam in con-
 futationem quam defensionem hujus
 versionis plusquam octoginta vulgaban-
 tur opuscula, inter quæ ceteris obser-
 vatu magis dignæ sunt ipsius Versoris
 vindiciæ contra Lipsienses Censores:
 Hi enim obiiciebant. I. Reverentiam
 verbo Dei debitam lædi, si pro libitu
 multa verba, ac integræ lineæ eidem
 intrudantur, variæ circumstantiæ fin-
 gantur, alia tanquam inutilia expun-
 gantur, ordo interturbetur, verba si-
 ne respectu ad textum originarium ad
 privatas phantasiæ ideas ideo tantum
 detorqueantur, quia rationabilis expo-
 sitio & eloquentiæ leges id deposcere
 viderentur, cum tamen nulli subdito sui
 Principis edicta ita immutare liceret.
 Verum ad hæc respondit Versor, Prin-
 cipis edictum, postquam fuit promul-
 gatam, esse originale, se autem tex-
 tum originarium nulla in re immu-
 tasse:

6æc. XVIII. tasse: ast addere potuisset, se duntaxat
 A.C. 1737. exemplum secutum fuisse Lutheri, qui
 insuperhabita reverentia Verbo Dei, &
 Ecclesiæ debita integros libros expun-
 xit, alia pro suo arbitrio addidit, alia
 abrasit &c. Proin hic versor pariter
 cum Luthero Lipsiensibus responderi
 potuisset: *Sic volo, sic jubeo &c.* Ob-
 ciebant. II. Quod ceteras omnes ver-
 siones contemnere voluerit, & præci-
 pue illam Lutheri, quæ tamen per du-
 centos annos a doctissimis Viris tan-
 quam Germanicæ eloquentiæ oracu-
 lum fuit maximi habita, præcipue ob
 singularem, qua Lutherus enituit,
 hebraici idiomatis peritiam. Hanc
 objectionem diluit Versor, ostendens
 doctissimos hosce Viros de vera elo-
 quentia plane nihil scire, ipsam
 que Lutherum, si nunc viveret, certa
 insulso hosce adultores irruram ces-
 lebrem quoque Danzium asserere sol-
 tum fuisse, quod Lutherus de lingua
 hebraica nec tantum quidem calluerit,
 ac minimus ex suis discipulis, qui se-
 mel hebraicæ grammaticæ lectionem
 frequentasset. III. Objectabant, quod
 Philosophiæ plus æquo tribuerit, cum
 tamen Philosophi suas veritates primo
 duntaxat Divinæ revelationi postpone-
 re, & postea vero illam omnino ex-
 cludere voluerint, hodie autem omni-

no deposcerent, ut divinum Verbum a Philosophia dijudicaretur. Ad hæc respondit Versor, se veritatem cognoscendi medium non aliud habere, quam rationem nostram, nec aliam regulam ea recte utendi se scire, quam quæ ex ipsa rei natura proflueret, & nisi hoc modo S. Scripturæ intelligerentur, necesse fore, ut omnes vel Enthusiastæ, vel sceptici fierent: His tamen subjungere potuisset, quod Lutherus, postquam pro recipiendo, discernendo ac intelligendo Verbo Dei iudicium Ecclesiæ & traditiones respuit, ipse Verbum Dei privato suo suorumque sequacium fallibili iudicio, rationi, & privato spiritui subjecerit, indeque ortæ fuerint tot Bibliorum versiones a Protestantibus concinnatæ, & ab aliis receptæ, ab aliis repudiatæ, adeo, ut Protestantes semper dubii hæreant, & nunquam infallibiliter certi esse possint, quænam versio sit legitima & incorruptum integrumque Dei Verbum contineret, cum id eis nec sit evidens, nec revelatum a Deo, nec a Spiritu interno, de quo nunquam certi esse possunt, quod sit Spiritus Sancti testimonium, & non potius dictamen proprium & Spiritus erroris. IV. Exprobrabant ei, quod hæc verba Gen. 1. v. 3. fiat lux, ita interpretatus sit, es iure
de

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Sæc. XVIII.

A. C. 1737

de aber bald auf der Erde etwas helle,
wie es die göttliche Absicht erforderte, in
hac versione omne veitigium Divinae
omnipotentiae in his verbis: fiat lux
manifestatae eliminari, cum tamen in
S. Scripturis verba, utpote ab ipso Deo
dictata tamdiu sint retinenda, quam
æquivalentia haberi non possint, nullatenus
autem immutanda, si per talem
immutationem vel sensus, vel originis
lis textus emphasis depravatur. Hæc
Versor confutabat, respondendo, verba
in alienam linguam versa nunquam
esse æquivalentia sed vel nullum verum
sensum vel contrarium, & nexum
versum præferre: ita ergo rem esse
exponendam, ut tandem verus sensus
exprimatur, divinam vero omnipotentiam
nil aliud esse, quam facultatem
id efficiendi, quod vult, aut sicut intentioni
conforme est. V. Observabant, Versorem
duntaxat opus suum concinnasse pro doctis,
Deum tamen abs dubio sublimi stylo usum fore,
nisi suum Verbum etiam rudibus pro fidelium
norma dedisset. Ad hoc reposuit Versor,
Lutheri versionem rudibus nullatenus
esse accommodam, quid enim discerent
ex textibus. Gen. c. 49. v. 22. & Jud. 5. v. 11. ? de cetero certo se scire,
quamplurimos neglecta Lutheri versione suam cum jucunditate legere.

Por-

Porro in hac controversia id prorsus singulare est, quod Lutherani Prædicantes tanta rabie in novam hanc versionem debacchati sint, cum tamen ipsemet Lutherus unicuique S. Scripturas interpretandi libertatem sæpius concesserit, ac voluerit, ut Principes non prohiberent, quicquid alii velint docere aut credere, sive sit Evangelium, sive mendacium & alibi: si qui cavillari ac caussari velint, nos in nostro Psalterio a verbis longius recessisse, hi sibi solis sapiant, & nostrum Psalterium nobis intactum relinquunt: nos quoque prius nostrum Psalterium non immutamus, ut pateat, quomodo per versiones longius vel propius accedi valeat. Et rursus: intactam mihi relinquunt meam versionem, & faciat unusquisque, quicquid sibi placet. Hac libertate sibi a magno Legislatore Luthero concessa Laurentius Schmid in sua Wertheimer mensi Pentateuchi versione utebatur, jure ergo contra Prædicantes, qui eum exagitabant, acerbe querebatur, quamvis enim Protestantium Ecclesia circa quosdam fundamentales articulos se cum convenerit, nullibi tamen in suis symbolicis libris certam Bibliorum versionem præscripsit, nec ad aliquam sua membra adstrinxit, hinc ille, qui libertate a Luthero & libris symbolicis indulta hac in re utitur, schismatis ab hac Eccle-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Tom. 3.
Jan. Germ.
p. 120. An-
no 1555.

Luth. ad
Lect. in Ps.
tom. 5. Jan.
p. 164. an.
1557.

Gründliche
Vorstellung
der
Strittig-
keit über
die vorige
Übersetzung

Sæc. XVIII.
A. C. 1737

Ecclesia incusari nequit, donec Protestantes S. Scripturæ versionem, & literalem illius sensum determinaverint, ceterasque omnes interpretationes pro irritis declaraverint, imo & statuerint, se nullas, quæ a præscripta deviant, apud suos toleraturos: At hac ratione ipsimet inter se suam conscientiaæ libertatem restringerent, & omnibus ejus membris privatam scripturæ sensum investigandi facultatem penitus interdicerent: inde vero sequeretur eorum fidem non ejusmodi inniti fundamentis, quæ post propriam discussionem pro veris olim agnovere, sed duntaxat in hominum auctoritate fundari, quam tamen criminationem Protestantes a se amoliri toto studio conantur. Sic tandem conscientiaæ libertas ab ipsis Protestantibus penitus everteretur.

§. XXXIV.

*Hæc versio a variis Principibus
proscripta.*

Hucusque hac in causa utrinque strenue calamis decertatum, proicatum nihil, tandem res ad Principum tribunal delata, & quidem jam anno priori Borussiae Rex Wertheimensis hæc

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

hæc Biblia in suas ditiones inveni, vel
clam aut publice divendi, indicta cen-
tum aureorum multa & exemplarium
proscriptione inhibuit. Die autem de-
cima quinta Januarii hujus anni Caro-
lus VI. Imperator ad omnes Imperii
Principes, Præules, Magistratus &c.
edictum direxit, in quo declarabat,
Dominicum Josephum Hageck de
Waldstätten denunciasse, quod anno
hujus sæculi trigesimo quinto Werthei-
mii Germanica Biblia sub titulo: *Divi-
na Scripturæ ante tempora Messia Jesu.
Pars I. in qua Israelitarum leges continen-
tur, per liberam versionem notis illustratam
& stabilitam prodierint: in his vero de-
testanda temeritate originarium textum
fuisse depravatam, & sinistris interpre-
tationibus vitiatum, necnon præcipua
Christianæ doctrinæ præcepta abomi-
nanda & hucusque ferme nunquam au-
dita petulantia clanculo eversa fuisse:
Igitur Imperator Cæsarei officii debito
adstrictus, ut grassanti malo, indeque
secuturis periculis obviaret, tam in eo-
rum Auctorem, quam scandalosissimi
hujus libri Editorem severitate saluta-
ribus Imperii statutis sancita animad-
vertere decrevit, huncque in finem
ad Lövensteinium Principem, & Cæsa-
reum librorum Censorem Francofor-
diam necessaria dedit mandata, ut in*

Hist. Eccles. Tom. LXXV. T t ex-

Seca. XVIII. exemplaria, quæ fors apud Bibliopos
A. C. 1737. las vel alibi habentur, sedulo inquirant, eaque mox fisco addicta ad Cæsaream Curiam transmittant, de cetero autem hujus libri venditio, constituta decem auri marcarum poena, deinceps inhibeatur. Cum vero nuntiatum esset, horum Bibliorum Auctorem esse Laurentium Schmid, eumque adhucdum Wertheimii agere, hinc Imperator Lövensteinio Principi præcepit, ut eum mox custodiæ dari curaret, si vero hic habita notitia aliorum jam aufugisset, vel alibi moraretur, Cæsar in eum inquiri, & deprehensum comprehendi, & si inquisitus & de hoc crimine convictus vel legitimis iudiciis gravatus sit, captum detineri jussit, donec Imperator desuper quod æquum & justum, statuerit, interim vero ei defensionis beneficium impendatur, & desuper actitata Viennam transmittantur. Hoc edictum Imperator die decima quinta Januarii ad Franconici Circuli Principes transmisit, & exactam illius executionem commendavit.

Accepto hoc Cæsaris edicto Carolus Philippus Archiepiscopus Moguntinus, S. Imperii Elector die decima sexta Februarii illud imprimi, & ad omnium notitiam promulgari, atque

acurate in executionem deduci iussit, Sæc. XVIII.
A. C. 1737.
 indictaque præfata pœna, omnia exemplaria confestim ad Moguntinam Curiam transmitti, eorumque Auctorem Schmidium, si detegeretur, custodiæ mancipari præcepit. Porro Lövensteinus Princeps Religione Catholicus ex Cæsaris mandato die vigesima secunda Februarii Schmidium coram se comparere, eumque in carcerem detrudi iussit, indultâ eidem suam causam vindicandi facultate, cuncta vero exemplaria, quæ adhuc apud Höfleinium Cameræ Wertheimensis Consiliarium extabant, intercepta fuere: Hujus vero proscripti Auctoris patrocinium in se suscipere ambo Comites Lövensteinio-Wertheimenses A catholici, qui die septima Martii apud Cæsareo-Aulicum Consilium supplicabant, ut erga juratoriam cautionem Schmidius e custodia dimitteretur, eique defensio suæ causæ concederetur. Ast die vigesima tertia ejusdem Mensis Viennæ decretum est, horum petitioni adeo non esse deferendum, ut Auctor ob erroneas doctrinas in suis Bibliis ad communem Christianæ Reipublicæ offensionem disseminatas, & propter Sacramenti Verbi Divini sacrilegas depravationes debitis pœnis coercendus esset, & propterea a Franconici Circuli Præfectis

Sæc. XVIII. A.C. 1737. tis ad tutum locum captus abducere-
tur, demum vero instituta inquisitione
judicii acta, ejusque defensio ad Cæs-
farem transmitterentur, reus autem
Franconici Circuli Principibus deinceps
unacum suæ causæ actis, quotiescun-
que petierint, traderetur.

Eodem ferme tempore Augustus III. Saxonix Elector ac Polonix Rex, in dicta centum thalerorum multa Dresdensi Consistorio inhibuit, ne prædicta versio, utpote omnibus tribus Religionibus in Romano Imperio receptis summo opere adversa ac scandalosa in Electorales ditiones inveheretur aut venderetur: idem quoque Norimbergensis & Francofordiensis Magistratus decrevere, & Bibliopolis sub pœna quinquaginta aureorum Imperialium hujus libri venditionem inhibuerunt. Die autem nona Maij Georgius II. Angliæ Rex, & Hannoveranus Elector Cæsaris edictum promulgari, atque ad effectum deducto, serio præcepit, ut scandalosa hæc versio ad plurimum fundamentalium Christianæ Religionis articulorum ac veritatum eversionem, eversionemque conducent e medio tollatur & scandalum inde enatum reparatur, & malis exin ulterius pertimescendis obviatur. Pariter Carolus Fridericus Regius Holsato-Gottorpiensis Dux die decima

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

cima quinta Martii Teutonicam hanc versionem proſcripſit, eamque ſub pecuniaria multa aliisque poenis clam aut publice divendi vetuit, & cuncta exemplaria Curia Electorali tradi juſſit, eo quod Auctor *manifeſta & damnanda temeritate Originarium textum depravarit, perverſis interpretationibus fundamentales textus & doctrinas de Chriſto & de mysterio SS. Triadis, proin Chriſtiane Religionis fundamenta, Chriſtianarum veritatum fundamentalium ædificium per ſtupendam & in Chriſtiano Orbe inauditam temeritatem & per ſultæ ſapientia, & corruptæ Philoſophicæ principia evertere ac ſubruere conatus eſſet, ſique poſſibile foret, ex Moſaicis libris has veritates eliminare & peſſumdare tentaret: Neceſſarium igitur duxit præſatus Dux, ut Chriſtiano Zelo ſeſe oppoſeret illis, qui Dei honorem, puram Verbi a Deo revelati veritatem ad perniciem animarum aggrediuntur, pernicioſas, ſcanda- loſas & impias doctrinas clam vel publice diſſeminant, proſcriptos libros legunt illorum, qui non minus ſacrilege, quam impie Evangelico-Chriſtiane fidei, quam gratia Dei ſupra firmam & inſallibilem petram ſine controverſia poſuit, fundamenta inſe- ſtantur, & divinas haſce veritates ex propria malitia effræni credendi libertate & arbitrio doſe, ac proterve pro viribus everunt, aut ſaltem ſubruunt, proin Di-*

Sæc. XVIII. *vinæ revelationis verba per abominandas ad-*
A. C. 1737. *ditiones vel avulsiones (uti olim Luthe-*
rus aliique ejus Discipuli) perniciosissi-
me depravant , ac per arbitrarias , & simi-
stras interpretationes probrose & scandalose
corrumpunt &c. Ad hæc Lectori Catho-
lico obvix occurrent reflexiones.

Cum vero Franconici Circuli Prin-
 cipes, quibus Imperator hujus causæ
 cognitionem commiserat, coepti judi-
 cii acta Viennam transmittere cuncta-
 rentur, Carolus die duodecima Julii
 ad eos rescribi jussit, hucusque signi-
 ficatum non fuisse, quousque deman-
 dati hujus negotii causa esset perducta,
 cum tamen Imperator illam, eoquod
 de suprema Religionis cura, & aliun-
 de de re omnis moræ impatiente age-
 tur, maturari, summopere desideret,
 proin eos hortari, ut mox ad commis-
 sam inquisitionem procedere, eaque
 absoluta suum desuper judicium trans-
 mittere velint: Magistratui autem
 Francofordiensi injunxit Imperator, ut
 perversæ hujus versionis exemplaria,
 siquæ apud Varemtrappium Bibliopo-
 lam reperta fuissent, usque ad ultimus
 Cæsaris mandatum secure custodiantur.

Hoc item anno die vigesima quarta
 Julii Carolus Albertus Bavarix Ele-
 ctor

etor Straubingæ edictum promulgari **Sæc. XVIII.**
 jussit, quo omnibus Provinciæ Præto- **A. C. 1737.**
 ribus injunctum, ut sedulo curarent,
 ne in patriam non modo hæc Biblia,
 sed nec alii maximopere perversi libri
 ab Augustanis vel Norimbergensibus
 Lutheranis Bibliopolis ad nundinas in-
 ferantur: sedulo etiam invigilarent in
 circumforaneos imaginum ac librorum
 nundinatores, illisque ejusmodi vel
 alios suspectos libros mox auferrent,
 & juncta cum Præfectis opera in ejus-
 modi Propolas inquirerent. Præterea
 Ernestus Ludovicus Hasso - Darmstä-
 densis Landgravius die quarta Aprilis,
 & Carolus Edzardus Orientalis Frisiæ
 Dux die trigesima Septembris Wert-
 heimensem hanc versionem proscribere.

§. XXXV.

Wertheimensis Versoris apologia.

Erat Leonardo Schmidio proscriptæ
 versionis Auctori, concessa suam
 causam defendendi facultas, qua usus
 præprimis se Evangelicæ Religioni ad-
 dictum, cuncta ejus dogmata, prout
 in symbolicis libris continentur, ample-
 cti profitebatur. Dein palmare suæ vin-
 dicationis argumentum desumpsit ex
 eo, quod a primo Reformationis initio

T t 4 origi-

Sæc. XVIII. originalē scripturæ S. sensum & Religio-
 nis dogmata per se investigandi, pro-
 bandique facultas, proin a receptis
 A. C. 1737 opinionibus aperte recedendi, pro arbi-
 trio dilucidandi, ac declarandi, & pri-
 vata sua sensa subrogandi & pro libito
 inter se connectendi libertas cuilibet in
 ipso Lutero (*) concessa, & postea
 ab omnibus in usum deducta fuisse,
 secus enim Protestantes amissa confes-
 sionis libertate rursus sese aliorum in-
 terpretationibus insistendi jugo ac cæ-
 cæ obedientiæ subiecissent, obtenta-
 que libertatem denuo apud suos subu-
 lissent: præcipue cum Protestantes nec
 in hanc usque diem unquam inter se
 constituissent, quinam illi sint textus,
 ex quibus hunc vel illum fidei articu-
 lum probare possint vel teneantur, vel
 quo modo, quo stylo, & quibus verbis
 S. Scripturæ sensus, ac Religionis fun-
 damenta investigari debeant; unde tot
 versiones & interpretationes impune
 profluxissent, etiam a Lutheri verboni-
 bus maximopere alienæ. His præmi-
 sis Auctor vindicabat S. Scripturæ tex-
 tus

(*) *Leges interpretandi Verbi Dei non sunt
 in scriptura, cum oporteat verbum Dei non esse allegatum
 epist. ad Leonem P. tom. 2. p. 2. edit. Schwen. 1562. item sermone: attendite a falsis
 Eccl. & art. 114. ex 500.*

tus, quos depravasse accusabatur: postea suam versionem a quinque Lutheranarum Universitatum præcipuis ac doctissimis Theologis summa laude commendatam gloriabatur: Inter hos præprimis Joannis Leonardi Fröreifers Argentinensis Præconis Literas die decima quinta Novembris ad se datas omnino integras suæ apologiæ inseruit, hujus tenoris: *Vestra versio est humanum ac propterea erroribus obnoxium, Viro tamen in Theologia, Philosophia & Philologia Hebraica probe versato utile opus: talis enim in illius perlustratione regulam Pauli sequitur, vi cujus omnia probari, & quod bonum est teneri vult. Qui Wolffii Philosophiam non perfecte penetrat, & Hebraicum idioma perfectissime non callet, tali vestra versio nec utilis nec noxia est, nil enim in ea intelligit. Unde sat mirari nequeo intellectus imbecillitatem eorum, qui Christianam Religionem inde everti timent, atque exclamant: Hannibal ante portas: hi plane de interpretationum, quas tamen pro veris habent, certitudine diffidunt, cum sibi de nova hac versione adeo timent, cum tamen ea (uti certe credo) vix a decem hominibus in tota Germania rite intelligatur, paucissimi enim hebraico idiomate imbuti Wolffianam Philosophiam penetrant. Inde autem ortum est, quod ex tuis adversariis nullus difficultatis cardinem tetigerit. Si*

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

T t 5

quis

Sæc. XVIII. A. C. 1737. quis S. Scripturæ versionem impugnare vult, non quærendum est, an ea receptis atque adoptatis opinionibus consona sit, sed an originarium textum in genuino sensu exprimat; non enim Theologia hermeneutica & Exegetica, ad quam versiones pertinent, non ad Theologiam theticam prout in excogitationibus hominum systematibus continetur, sed ad illam accommodanda est. Hinc tui Abversarii ab omnibus suis consequentiarum machinis, & proscriptionibus abstinere, & solide probare debuissent, te in principia hermeneutica peccasse. Miror insuper, quod in Lutherana Ecclesia rursus in Germania Catalogum librorum prohibitorum conficere adlaboretur, cum tamen experientia dudum notum sit, quod externa hac violenta prohibitione ementium ac legentium librorumque cupiditas acuetur. Qui quemlibet pro Atheistis ac Naturalistis pro libitu habere jam assueti sunt, & doctissimos quosque pro suspectis ideo habent, quia veri docti sunt, & se omni data occasione a præjudiciis vacuos esse ostendunt, hi vatiniaco odio rationabilem & Christianam charitatem, quæ semper optima sperat, insectantur. Forte ex his aliqui alios a semetipsis dimetiuntur, sicque non modo jus naturæ & Christi mandatum sed etiam ipsum rationis dictamen violant. . . Alii nostræ Ecclesiæ Theologi per me in stultis imaginationibus delectentur, sibi que persuadeant, se esse

Autocratores, Monarchæ, & Religionis **Sæc. XVIII.**
 Dictatores, sibi que supremum competere im- **A. C. 1737.**
 perium alios judicandi & damnandi, ego
 talia nauseo & abhorreo. Alii ex his tan-
 topere se diffamant, ut alios, qui Theologi
 non sunt, damnasse, & coram universo
 Orbe prostituisse non sint contenti, sed &
 dantur in nostra Religione Theologi, qui se
 invicem hæresis nota sine scrupulo consper-
 gunt, & ingens in Christi Ecclesia scanda-
 lum caussant. Ut vero ad vestram versio-
 rum revertar, existimo, quod si duntaxat
 intendit, aliis doctis Viris verum verborum
 sensum magis magisque investigandi ansam
 præbere, atque hunc finem assequendi studio
 solide confutari & salva charitate ac mode-
 ratione, si quid humanum irrepsit, decla-
 rari haud gravate fert, tunc hominum nul-
 li Te damnandi, minus vero tuam conscien-
 tiam judicandi jus competet, cum nullus ho-
 mo cordium arcana nosse potest.

Divulgata hac Wertheimensis Ver-
 foris apologia Lutherani eidem infensi
 fremere cæperant, præcipue vero Ar-
 gentinenses Theologi iniquo ferebant
 animo, ab eodem Versore celeberrim-
 um ex suis Doctoribus Fröreisenium
 in novæ versionis patrociniū & com-
 mendationem trahi: ut ergo suum, sui-
 que Collegæ honorem, omni quo pos-
 sent, modo vindicarent, Lutheranus
 Theo-

Sæc. XVIII.
A.C. 1757.

Theologicæ Facultatis Decanus Joannes Andreas Gnilius nomine ceterorum Præconum die decima nona Decembris hujus anni sequens scriptum Argentinae publici juris fecit.

„Religio Christiana, qua statim post
„lapsum a misere Deo Filius ipsius
„æternus Salvator peccatoribus pro-
„missus & per omnes æconomiz veteris
„ris periodos a Prophetis constanti præ-
„ticipio prænuntiatus, creditur de-
„terminato tempore assumpta ex Sancta Maria
„Virgine humana natura factus esse
„Jesus Messias, in cujus verbo, sacri-
„ficio & sceptro desideranda justitia,
„sapientia, sanctitas & salus certo ob-
„tinenda est, sola virtute verbi a Do-
„ctoribus scientiæ rationalis experientibus
„prædicati, sed illustribus miraculis
„obsignati per orbem propagata, usque
„que ad nostra tempora potenti Viri
„nominis providentia contra quosvis
„sævitiæ & astutiæ humanæ insultus
„defensa est. Eo evidentius ejus veritas
„magis illius mysteria divinam sapientiam
„tutem expandunt omni arte longe superior-
„iorein, admirandis effectibus cuius-
„que credentium sentiendam, quin &
„rebus publicis ad societatem inter im-
„peras

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„perantes & cives tranquillam servan-
 „dam apprime salutarem. Fulcra hæc
 „privatæ publicæque salutis ex fide
 „Christi haurienda varii hostes, non
 „antiquo modo tempore *Prophyrius*,
 „*Celsus*, *Julianus*, sed & recentiore
 „*Spinoza*, *Servetus*, *Gentilis*, *Socinus*,
 „*Tolandus*, *Tindalus*, *Woolstonus* & co-
 „piosa Antitrinitariorum turma subru-
 „ere vesano, sed vano molimine conati
 „sunt. Qui in coelis habitat, risit &
 „subsannavit imbecilles, Regemque
 „suum super montem sanctitatis suæ in-
 „unctum una cum regno regnique prin-
 „cipiis fortiter tutatus est. Inculaban-
 „tur abhinc aliquo tempore istius im-
 „pietatis etiam nonnulli in Universitati-
 „bus Germanicis sapientiæ rationalis
 „Doctores, quasi tales doctrinas callidi
 „profiterentur, quæ fidei Christianæ
 „prorsus adversæ & funestæ eidem in-
 „teritum minitarentur. Injuriam qui-
 „dem istam sapientes hi studiosa arte
 „variis editis scriptis declinare annite-
 „bantur; sed tamen ex eorum scholis
 „semper visi sunt prodiisse, qui docu-
 „menta publica dabant extinctæ ex ani-
 „mis de revelatis veritatibus convictio-
 „nis & protervi cultus religiosi saltem
 „externi contemptus, ut accusatores
 „non possent non in querelis de perni-
 „cie ex nova Philosophia innocentibus
 „non

Sæc. XVIII. „non modo juvenum animis, sed &
A. C. 1737. „universæ Christianæ reipublicæ me-
 „tuenda tristi ore & calamo pergere,
 „sperabatur simul omnino provida No-
 „minis Sapiaentia nexus rerum ita dispo-
 „situm iri, ut fraudibus, si quæ late-
 „rent, detectis veritas Evangelii in-
 „concussa non modo maneret, sed &
 „per ipsorum hostium tentationes,
 „uti olim semper contigit, evaderet illu-
 „strior; ut ita fides constet divino
 „Pauli oraculo, quo 2. Tim. III. 1. seq.
 „prædixit, *ultimis quidem diebus fore-
 „turos esse homines sui amantes, fastuosos,
 „superbos, blasphemos, proditores, proci-
 „pites, voluptatum magis quam Dei amato-
 „res, habentes speciem pietatis, virtutem ve-
 „ro ejus abnegantes; sed & fore, ut, sicut
 „sicut Joannes & Jambres resistunt Moysi
 „ita etiam hi resistent veritati, homines cor-
 „rupti mente, reprobi quoad fidem, tamen
 „non proficiant amplius; nam stultitia eorum
 „manifesta erit omnibus, sicut & illorum facta
 „est.* „Complementum spes videba-
 „tur nacta esse, cum quidam Johannes
 „Laurentius Schmidius, literatura Hebræa
 „raea & nova philosophandi ratione tur-
 „piter abusus, imprudenti consilio &
 „& infausto successu Werthemii Anno
 „1735. typis vulgaret novam paraphra-
 „sin potius, quam versionem Pentateuchi
 „Mosaici, præludium totius Co-
 „dicis

„dicis biblici simili ratione vertendi; Sæc. XVIII.
 „(sub titulo: *Die göttlichen Schriften vor* A. C. 1737.
den Zeiten des Messie Jesus, der erste
Theil, worinnen die Gesetze der Israeliten
enthalten sind, nach einer freyen Ueberset-
zung, welche durch und durch mit Anmer-
kungen erläutert und bestätigt wird.) Fu-
 „catam simul fidem faciens, se versio-
 „ne hac principia positurum esse solida,
 „ex quibus deinceps methodo demon-
 „strativa, Mathematicis præsertim usi-
 „tata, per conclusiones concinno ne-
 „xu deductas etiam acutioris ingenii
 „homines, qui effatis probabilibus
 „persuaderi nolunt, ad certam de
 „veritate religionis Christianæ con-
 „victionem perducturus sit. Ete-
 „nim tantum abfuit, ut versione ista
 „sub examen vocata ulla species appa-
 „reret seriæ, quam præsefererat, in-
 „tentionis, ut potius communi Theo-
 „logorum, etiam talium, qui scientia
 „rationali præpollent, maturo iudicio
 „conclamaretur, nunquam a primor-
 „diis Christianissimi librum vel a Judæis
 „vel Socinianis vel aliis hostibus orbi
 „obtrusum esse, in quo sensus Spiritus
 „Sancti contra naturam structuramque
 „vocum, contra scopum divinum, to-
 „tiusque Scripturæ & fidei analogiam
 „adeo depravatus sit atque perversus si-
 „mul & intima revelatæ Religionis fun-
 „damenta

Sæc. XVIII. „damenta petulanti & inconsulta astu-
 A. C. 1737. „tia concutiantur, ac in isto. Cuius
 „mali præsertim adjudicabatur nome-
 „philosophiæ. Claris speciminibus que-
 „relas probatum vivere publicis scriptis
 „Theologorum celeberrimi, inter quos
 „eminent *Langius, Reinbeckius, Pfaffius,*
 „*Neybauerus,* & plures; quorum
 „sortio omnino meretur adjungi *Feg-
 „nius,* Sacrorum in Aula Darmstadt-
 „na Antistes, ut qui ignobilem homi-
 „nis versutiam in certo objecto eximie
 „detexit. Noluit autem novus inter-
 „pres cunctis hisce solidis censuris ad-
 „faniorem mentem flecti; potius erro-
 „ribus temere institit, censores arguens
 „inscitiae, cavilla ionis, & malitiae. Su-
 „diosaque subtilitate fabrefactis sortibus
 „se solum sapere orbi persuadere anni-
 „tens. Sed hisce persuasionibus haud
 „obstantibus eo res perducta est, ut non
 „modo in plerisque Germaniæ provin-
 „ciis venditio libri impii auctoritate
 „summorum magistratuum prohibere-
 „tur, sed & jussu Cæsareo unacum ex-
 „emplaribus, quæ in bibliopolio de-
 „prehensa fuerunt, auctor ipse imper-
 „dens custodiæ traderetur, ne posthac
 „defensione vecordis moliminis scanda-
 „lum augendi copia superesset. Nos ut
 „in nostro Collegio paraphrasin istam
 „vidimus, horrore correpti mirati se-
 „mus

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„mus omnes, qui fieri posset, ut in
 „tanta Evangelii luce aliquis, qui in
 „summum Philosophiæ fastigium eve-
 „ctus sibi videtur, in primum Religio-
 „nis revelatæ fontem tam impudente
 „ferocia sævire ac grassari auderet. Ex-
 „emplum vili sumus videre hominis,
 „qui *φάντων ειναι σοφος εμαρταν; Et* *cujus*
 „intellectum fide carentem Deus sæculi ex-
 „cæcavit, (2. Cor. IV. 4.) quominus ipsi
 „splenderet illuminatio Evangelii de gloria
 „Messiæ, quæ & ex prophetia Moïsis ef-
 „fulget. Non tamen nobis opus esse
 „duximus, ut publico testimonio in-
 „dignationem nostram doceremus aut
 „fraudentas hominis machinationes
 „profligaremus, opus hoc relicturi do-
 „ctoribus illis quorum ecclesiis pericu-
 „lum exinde imminebat, cum audito-
 „res nostros ex doctrinis nostris, præ-
 „sertim & harmonia publica nostra cum
 „Amplissimo Philosophorum Ordine
 „Facultatis, contra ejusmodi tela satis
 „præmunitos novissemus. Enimvero
 „tandem, ut & nos sententiam nostram
 „de novo instituto publice diceremus,
 „petulans Scripturæ corruptor neces-
 „sitatem imposuit ipse. Refugium nam-
 „que Pseudosophus, cum se ad incitas
 „reductum sentiret, in consensu viro-
 „rum auctoritatis quæsiturus, superio-
 „re anno ab uno ex Collegio nostro epi-
 „*Hist. Eccles. Tom. LXXV* U u „stola

Sæc XVIII. „stola humanissimis formulis scripta, ut
 A. C. 1737. „mitigatum de opere iudicium permi-
 „beret, expetiit, simul de vehementi
 „Theologorum persecutione, quam in-
 „nocens pateretur, multa lamentatio-
 „ne conquestus. Annuit voto Collegæ
 „nobis æstimatissimus, & pro ea, quam
 „tum de libro conceperat, idea rescri-
 „sit dijudicationem ita institutam, ut
 „quidem non prorsus omnem modum
 „censuræ probaret, qua liber ab initio
 „refutatus est, existimans loco vobe-
 „mentioris investivæ id tantum agere
 „dum fuisse, ut demonstraretur, ipsi
 „principiis hermeneuticis versionem re-
 „pugnare; sed tamen satis abunde di-
 „splicentiam erga conatus auctoris te-
 „staretur, ut qui ingenio suo nimium in-
 „dulserit, interpretationes suggererit
 „quæ sufficiente ratione destituantur &
 „circumstantiis textus adverlentur, &
 „majori, quam par est, licentia præler-
 „tim in eo usus sit, quod & talia dicta,
 „quorum sensus in novo Testamento in-
 „dicatus est, in alium pervertere sen-
 „sum non veritus fuerit. Simul & pro-
 „fessus religionem Christianam firmo-
 „ribus fundamentis inniti, quam ut il-
 „lam talis interpretatio subruere ve-
 „leat, propriæ interpretis conscientie
 „dijudicandum imponit, quo sine opus
 „aggressus sit, num animo scripture
 „verum

„verum sensum illustrandi, utrum Sæc. XVIII.
 „vero destruendi religionem? eviden- A. C. 1737.
 „ter subindicans, calum dabilem esse,
 „ut anguis lateat in herba. Non ob-
 „stante autem ingenua hac & abs par-
 „tium studio aliena declaratione non
 „erubuit apologeta quidam, circa fi-
 „nem hujus anni in Collectione Scrip-
 „torum, occasione Werthemienſis ver-
 „ſionis vulgatorum, literas Collegæ
 „noſtri in partes impietatis trahere, or-
 „bi perſuaſurus, non improbable videri,
 „forſan Theologum hunc Argentora-
 „tenſem quoad verborum ſenſum ab au-
 „ctore expoſitum ejuſdem tandem cum
 „iſto ſententiæ eſſe. Noſtrarum proin-
 „de partium eſſe judicavimus, ad ab-
 „ſtergendas a ſacro noſtro Collegio ejuſ-
 „modi maculas iniquas, & nomine lau-
 „dati noſtri Collegæ & omnium no-
 „ſtrum in publico totius Eccleſiæ con-
 „ſpectu declarare, nos uno animorum
 „conſenſu deliberatione ab omni præ-
 „judicio libera tam de verſione ipſa,
 „quam de apologiis, quas vidimus,
 „pro illa datis, accurate inſtituta, non
 „poſſe non attentatum hominis moli-
 „men ceu veritati revelatæ & ſanctiſſi-
 „mæ Religioni maxime adverſum, ſtu-
 „dioſæ præprimis juventuti pernicio-
 „ſum ac ſcandalofum, atque Philoſo-
 „pho Chriſtiano indignum deteſtari.
 U u 2 „Appro-

Sæc. XVIII. „Approbamus pium & eruditum Theo-
 A. C. 1737. „logorum zelum, quo solida demon-
 „stratione arguerunt hominem maligne
 „contorsionis sensus Mosaici, illationis
 „sensus imaginarii, & judaicis com-
 „mentis deterioris, ac impietatis ne-
 „sandæ in divinam auctoritatem Jeshu
 „nostri, Prophetæ veracissimi, ejus-
 „que apostolorum, ut qui Spiritu San-
 „cto inspirati ex ipsis visceribus textus
 „Mosaici veritates, quas de Messia præ-
 „dicaverant, non ut fucum simplicibus
 „facerent, sed ut doctrinam Mosaicam
 „verbis expressam docerent, deduxe-
 „runt. Veneramur simul mente devo-
 „ta sanctam Germaniæ procerum pro
 „divina Religione curam, qua istum
 „insanientis imprudentiæ martyrem
 „non quidem persecutione, sed tamen
 „custodia coercuerunt, ne post hac ve-
 „nia potiretur venenum latius disper-
 „gendi. Hujus nostri Judicii non suf-
 „ficientes modo, sed & stringentissimæ
 „rationes in promptu sunt, quas co-
 „servare & instituti ratio & chartæ
 „angustia prohibet; nec amplius opus
 „est, cum a Viris supra celebratis co-
 „piose expositæ sint. Siftamus saltem
 „eorum summam. I. Causam prædi-
 „camentam tam facile a Judæis & postea
 „gentibus impetratæ fidei de ^{Scriptura}
 „Scripturæ adscribit deceptor ignorantie

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„tiæ & ruditati vulgi scientiæ philoso-
 „phicæ expertis : nulla hic mentio di-
 „vinæ virtutis verbi, quo Spiritus San-
 „ctus corda ad assensum movit, nec
 „miraculorum, quibus & Moses &
 „Christus & Apostoli veritatem prædi-
 „cationum confirmarunt. II.) Empæ-
 „starum dubia contra revelatas verita-
 „tes speciose exaggerat, nec dum ulla
 „specie solvit, sed discussionem demum
 „futuris calendis asservat; ubi quidem
 „prudencia rationalis, multo magis
 „christiana suafisset tamdiu reticuisse,
 „usque dum novum suum systema inte-
 „grum compactum fuisset, si quidem
 „ipse convicia Theologorum, uti loqui
 „amat, evitare voluisset. III.) Præci-
 „puum Hermeneuseos principium,
 „quo D. Paulus ipse Rom. XII. *ἰσὺς κατὰ*
 „*τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως* expositiones sa-
 „cras instituendas esse præcipit, inter-
 „vertit; modum interpretandi ridens,
 „quo hæctenus litera Mosis & ex elo-
 „quiis Prophetarum, Christi & Apo-
 „stolorum illustrata fuit; ut ita *ἰδιαν*
 „*ἐπιλυσιν*, quam contra interdictum Pe-
 „trinum 2. Ep. I. 20. verbis Mosis in-
 „fert, insulse stabiliat; cum tamen ipse
 „aliquando in contrarium eat, & per-
 „versæ opinioni, qua prædicata Mosai-
 „ca de Angelo Jehovah de angelis tan-
 „tum creatis intelligenda esse conten-
 „dit,

U u 3

Sæc. XVIII „dit, præsidium ponere satagit ex
 A. C. 1737. „Hebr. II. 2. Non ergo hæc scripta
 „omnia ab eodem Spiritu, qui suorum
 „verborum est interpret optimus, in-
 „spirata fuerunt? IV.) Testimonia om-
 „nia, ne uno quidem excepto, que
 „Ecclesia uniuersa a seculo Apostolico
 „ex litera Mosis pro stabilienda plura-
 „litate Personarum diuinarum, & Di-
 „uinitate Christi & Spiritus Sancti, ad
 „pro astruendo officio mediatorio & pro-
 „phetico Messæe produxit, contra ex-
 „pressas explicationes Christi & Aposte-
 „lorum, contra clara interpretum Chri-
 „stæ & septuaginta & antiquorum Ju-
 „dæorum testimonia, quin & ipsam
 „antiquitatem historicam penitus ener-
 „uat, ita ut nulla cogitatio de Christo
 „superfit. Per accommodationem mo-
 „do mysticam ad Christum illa applica-
 „ri posse somniat, & ita etiam utiliter
 „applicata fuisse ab Apostolis, verba
 „facientibus ad simplices, qui ista per-
 „suasione erronea jam præoccupati fue-
 „re. Transformat ita orruptor Apo-
 „stolos fallere nescios in sophistas de-
 „ceptores sibi similes. Nullus hæc-
 „tenus ex toto empæctarum cœtu magis
 „violento impetu in sanctam religionem
 „irrupit, ac sublimis hic philomorus
 „Novus hic inspiratus solus & primus
 „sapit! Et qui philosophus hic, prout
 „subi-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„subinde spem facit, ex scriptura Mo-
 „fis argumentationes mathematicas &
 „conclusiones apodicticas depromet ad
 „fratres naturalistas de veritate religio-
 „nis Christianæ convincendos, cum
 „ibi de Christo altum silentium? Quis
 „non ex his fraudulentis præstigiis
 „manibus palpat? Non possumus non
 „simul hac occasione publice profiteri,
 „quod, si vel maxime hic vel alius Phi-
 „losophus sincero conatu tentaturus es-
 „set, per demonstrationes Mathemati-
 „cas ex meris rationis principiis dedu-
 „ctas ad Christianismum acutiores,
 „quos vocat, homines convertere,
 „oleam, operam tempus & cogitatio-
 „nem perditurus esset omnem. Chri-
 „stianismus fidei res est. Per demon-
 „strationes philosophicas potest qui-
 „dem aliquis præparari, sed non fieri
 „Christianus. Ista methodo nec Chri-
 „stus, religionis Stator, nec Apostoli,
 „promotores Regni a Spiritu Sancto
 „formati ausi sunt. Ista methodo nec
 „intellectus de his mysteriis convinci-
 „tur, nec voluntas ad assensum aut ob-
 „sequium flectitur. *Homo naturalis non
 percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stul-
 ticia enim ipsi sunt, nec potest cognoscere,
 quia spiritualiter dijudicantur. I. Cor. II.
 14. Caro & Sanguis talia objecta non reve-
 lat. Matth. XVI. 17. Nemo agnoscit fi-
 lium,*

U u 4

Sæc. XVIII. *lium, nisi Pater, neque Patrem, quisquam*
 A. C. 1737. *nisi Filius, & cui voluerit Filius revelari,*
 Matth. XI. 27. *Nemo potest Jesum dicere*
Dominum, nisi per Spiritum Sanctum, 1.
 Cor. XII. 3. *„Supernaturalis gratie*
„opus est: sublimius hic postulatur prin-
„cipium. Apostoli prædicarunt Evan-
„gelium & καθ' ὑπεροχὴν λόγῳ ἢ σοφίᾳ,
„ὅτι ἐν παιδοῖς ἀνθρώπων σοφίας λόγῳ,
„ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως,
„ut fides non sit superstructa sapientie ho-
„minum sed potentie Dei. 1. Cor. II. 1. 4.
„5. requisiveruntque obsequium simplici
„fide verbo præstandum, atque iust-
„erunt rationem captivare sub obse-
„quium Christi 2. Cor. X 5. Eandem
„methodum Christus inculcat Joh. VI.
„17. Si quis velit voluntatem Dei facere,
„is cognoscet de doctrina hac, utrum ex
„Deo sit, an vero ego a me ipso loquar.
„Cui hæc methodus minus conveniens
„ingenio philosophico videatur, is ma-
„neat paganus & a regno Christi alie-
„nus. Contingens illud, de quo Pau-
„lus queritur 1. Cor. I. 21. seqq. (Quis
„mundus Deum in sapientia ipsius non cog-
„novit spuria sua sapientia impeditus, præ-
„civit Deo per stultam prædicationem salu-
„re credentes. Prædicamus Christum cruci-
„fixum Judæis scandalum, Græcis stulti-
„tiam) querelarum materia erit usque
„ad finem seculi. Cæterum non dubi-
„tamus

„tamus hic Philosophos illos Germa- Sæc. XVIII.
 „nos, ex quorum fontibus imprudens A. C. 1737.
 „interpres aquas suas putridas haufif-
 „se dicitur, amica mente compellare,
 „ut ipsi (siquidem Religionis Christianæ
 „socii sunt) sua lingua & methodo mi-
 „serum discipulum errorum convincant,
 „atque ad saniolem sapientiam redu-
 „cant. Quies ita tandem reipublicæ
 „Christianæ literariæ restituetur, &
 „scandala innocentibus animis ad usus
 „publicos formandis adeo nociva ex
 „voto omnium prudentum avertentur,
 „Præsertim etiam aprecamur inter-
 „preti, tanta scandala ponenti, gra-
 „tiam, & lucem Spiritus Sancti, qua
 „liberatus a tenebris & in regnum ve-
 „ræ lucis transpositus confiteatur Je-
 „sum esse Christum, quem Moses & om-
 „nes Prophetæ prædixerant semen be-
 „neditum, & salutis veræ unicum
 „fontem, ex quo solo summa sapien-
 „tia, pax conscientiæ omnem rationis
 „virtutem exuperans, serenitas in
 „quovis discrimine, spesque viva vitæ
 „æternæ, certa præsidia contra turbas
 „seculi & ipsius mortis terriculamenta,
 „haurienda sunt. Vos vero, Cives
 „charissimi pro sincera, qua nobis salus
 „vestra curæ est, sollicitudine mone-
 „mus in Domino Jesu, & obtestamur,
 „ut prudente vobis studio caveatis, ne
 „quis

Sæc. XVIII. „quis vos in prædam ducat per falso
 A. C. 1737. „nominatam sapientiam & vanam frau-
 „dem, spolietque vos cogitatione &
 „communione Salvatoris, in quo omnes
 „thesauri sapientie reconditi sunt, Col. II.
 „3. Exempla incredulorum, qui
 „nafragium fidei fecerunt, faciant
 „vos circumspectos, ne perversa cultu-
 „ra rationis in eadem præcipitia abri-
 „piamini, neve, sicut antiquus serpens
 „Evam seduxit sua astutia, ita & vestra
 „mentes corrumpantur, & abstrahantur a
 „solida, salutari & necessaria simplicitate,
 „quæ est in Christo. 2. Cor. XI. 3. Propterea
 „vobis voluntatis pravæ concupiscen-
 „tiæ, quas sentitis in animo exurgere,
 „sancta renitentia compescendæ sunt,
 „ita non minore vigilantia observandæ,
 „& destruendæ sunt ratiocinationes,
 „quas caro mundus & satanas suggerit
 „contra Evangelium & captivandus est
 „vobis omnis sensus, qui se effert con-
 „tra cognitionem Dei in verbo revela-
 „tam in obsequium Christi. 2. Cor. X.
 „4. 5. Eo omnes animi vires contendi-
 „te, ut non agnoscatis modo plena fi-
 „dei persuasionem Jesum esse Regem gra-
 „tiosum, quem Moses cum reliquis
 „Prophetis vaticinatus est ad restau-
 „randam omnium populorum salutem
 „nasciturum esse ex populo Judaico,
 „cujus vaticinii fama etiam populos re-
 „liquos

„liquos attonitos fecit; sed & viva fide Sæc. XVIII.
 „& sancta veneratione ipsum ut Regem A. C. 1737.
 „vestrum recipiatis, quo & cordium
 „vestrum potiatur. Experiemini ita ef-
 „fectibus certissimis, revelatam de
 „Christo doctrinam esse Dei potentiam
 „& Dei sapientiam. Prolixiore demon-
 „stratione & erudita pique, qua solet,
 „facundia gratiam hanc in Christo fru-
 „endam edocebit, Vir Maximus Reve-
 „rendus, Amplissimus & Excellentissi-
 „mus, *DN. Fridericus Jacobus Revchli-*
 „nus, S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ.
 „Ord. Celeberrimus, cap. Thom. Can.
 „& Ecclesiastes meritissimus, Patronus
 „Fautor & Collega noster exoptatissi-
 „mus atque honoratissimus, in Oratio-
 „ne Sacra, pridie Festi Nativitatis
 „Christi, die 24. Decembris hora nona
 „matutina dicenda, expositurus *vete-*
 „*rem & constantem toto Oriente opinionem*
 „*de Judæa profecto, qui rerum potiretur,*
 „*ex Joseph. Bell. Jud. VII. 12. Tacit.*
 „*hist. V. 13. Sueton. Vespas. 4.* Ad hanc
 „ergo piis animis excipiendam ut Pa-
 „troni, Doctores, Fautores & Cives
 „Universitatis, fidem & venerationem
 „Christo Regi suo testaturi, frequentes
 „convenient, ea qua decet observan-
 „tia & humanitate contendimus“.

§. XXXVI.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XXXVI.

Hujus causæ exitus.

Interim lentiore admodum pede contra Wertheimensem Versorem ince-
debant Bambergæ instructa judicii acti-
motis subinde variis controversiis; quip-
pe deputati Franconici Circuli Princi-
pes anno hujus sæculi trigesimo octavo
die vigesima quinta Februarii a Cæsare
prius decidi petebant I. ad quem locum
Auctor captus deducendus esset II. &
a quo ac unde expensæ tam hucusque
in inquisitionem quam in rei sustentationem
factæ ac impostero facienda sint repetendæ?
Ad has igitur quaestiones Carolus Imperator
die decima quarta Martij rescribi iussit, reum
in arce Bambergensi captum esse asservan-
dum; hac enim ratione singularibus
tam custodiæ quam alimentationis
sumptibus non modo parci, sed &
commodius judicii acta in eum instrui
posse: de cetero Cæsarem esse probe
instructum, quod reus vel nullas vel
saltem tenues admodum facultates ha-
beat, proin Cæsaream suam Majesta-
tem sibi de horum Principum honesta-
te, & æquitatis amore tantum polli-
ceri, ut eos hoc negotium gratis in se
suscepturos, minime dubitaret. At hoc

hoc Cæsaris decretum executioni ca- Sæc. XVIII.
ruit, ipsaque iudicii perendinatio Ver- A. C. 1737.
fori reo salutis fuit; priusquam enim a
Deputatis Principibus quicquam decer-
neretur, ipse Wertheimio, ope suorum
Amicorum, e custodia elapsus est, ac
paulo post Wertheimium denuo rever-
sus, circa Paschalia festa rursus clam
aufugit, (ut creditum est) in Hollan-
diam, ubi secunda suæ versionis pars
typis impressa prodiit.

§. XXXVII.

*Ridicula Comitis de Zinzendorff in
Episcopum consecratio.*

Affiduas, quibus Protestantes inter se
a primo sectæ exordio sæde scinde-
bantur, dissensiones haud parum au-
gebat Herrenhutensis factio, quæ ex
omni sectarum colluvie coalescens in
sinum suum recepit Bohemos, Mora-
vos, Silesios, aliosque, qui a vera fi-
de devii, ex Hussi, Lutheri, Calvini,
Schwenkeldii aliorumque Novatorum
erroribus novum sectæ monstrum pro-
germinarunt. Quapropter partim ex
sua patria ejecti, partim ex carceribus
aut dimissi aut fuga elapsi primo Bert-
holsdorffium circa annum hujus sæculi
trigesimum secundum contenderunt,
a Ni-

Sæc. XVIII. a Nicolao Ludovico Comite de Zinzen-
 A. C. 1737. dorff perbenigne excepti: Hic etiam

pro illorum & præsertim puerorum in-
 stitutione novum edidit Catechismum
 ad normam, uti præferebat, Ca-
 techismi a Luthero confecti, in quo
 tamen postea ipsimet Lutherani (*)
 plura, quæ carperent, invenere: Is
 etiam ex Silesia convenerant Schwent-
 feldiani, quid crederent, penitus igitur
 ri, qui tamen, cum Lutheri errores
 cum suis commutare nollent, nonnulli
 in privatis ædibus tolerati fuere: ceteros
 vero Bohemos Fratres, uti se vo-
 cabant, Zinzendorffius magno numero
 Zauchentalio profugos, aliosque ejus-
 dem furfuris Socios ad novam suam Ec-
 clesiam recepit eisque concessit, ut ædes
 suas ad montem *Hut* erigere possent,
 quam novam coloniam Teutonico no-
 mine *Hut des Herrn Custodiam Domini*
 appellitabant: inde nomen sortiti, *der*
Herrenhuter. His Comes quinto post
 anno nova Biblia procudit, eaque Ebers-
 dorffii edi curavit. Inde vero novi dis-
 sidii fomentum; Dresdenses enim Lu-
 the-

(*) Vide Jo. Hermanni Benner Superin-
 tend. Gieslens. suam *noxiæ Catecheticae Zinzen-
 zendorffianæ* oder *Zinzendorffischer Catechismus*
 Gist. Anno 1744.

therani in his Bibliis, ac præcipue eorum summariis, notis & præfatione multos errores suæ sectæ contrarios olfecerant, ac propterea ex sua synedro succinetam, necessariam tamen monitionem contra hæc Zinzendorffiana Biblia ediderunt, necnon Görlizensibus aliisque Bibliopegis, ne ulla Biblia sine præfato monito compingerent, inhibuere aliique Prædicantes illa unacum Zinzendorffii catechismo acerbè impugnarunt:

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Enimvero Herrenhutani exterius Lutheri sectam profitebantur, ac desuper instrumentum Notarii fide munitum anno 1732. porrigebant, ne ob novos errores ex Imperio eiicerentur: paulo post tamen, vitio omnibus sectis communi, ipsam Lutheri doctrinam addito vario fanatici fermento magis adhuc conspurcarunt, uti eis solide sæpiusque exprobrabat Carolus Regentius, imo ex ipsis Protestantibus non pauci hodieum de Babylonica hac confusione acerbius queruntur: Ubi hoc etiam prorsus singulare est, quod Lutherani una ex parte Herrenhutanos pro Fratibus vinculo fidei conjunctos agnoscant, altera vero ex parte eos Calvinii, Indifferentistarum, Chilistarum, aliorumque errorum fanaticorum

Sæc. XVIII. corum fœce præsertim in eorum can-
 A. C. 1737. tilenis contenta inquinatissimos abhor-
 reant, unde sequi videtur, aut eos si-
 dem suam ignorare, aut palam fateri,
 quod eorum Ecclesia non sit Ecclesia
 pura, sed errorum maculis deturpata,
 non immaculata Christi sponsa, sed
 prostituta errorum genitrix, nutrix &
 tatrix.

Interim Herrenhutani, adjunctis
 sibi Bohemis & Salisburgensibus Apo-
 statis tanto numero excreverant, ut ob
 loci angustias in Borussia ditiones
 transmigrare statuerent unacum suo
 Prædicante Liperda, qui tamen Wald-
 heimium ad domum castigatorem ca-
 ptus abducebatur, eoquod Saxonie
 populos inde educere præsumpsisset:
 Sinistram quoque sortem experiebatur
 ipsemet Comes Zinzendorffius ob pri-
 vata, quæ invexerat pietatis Collegia
 quæ a Saxonie Electore severius fue-
 re prohibita, & ipsi Comiti a Suecicæ
 Rege interdictum, ne ibi sedem figeret:
 Nihilominus Prædicantibus suis gra-
 tiam vocationis pro suo arbitrio imper-
 tiendi potestatem, qua ipse caruit sibi
 arrogabat, ac ipsemet Stralsundæ
 Tubingæ & alibi prædicabat, nec-
 non fabrum lignarium Figulum an-
 no 1732. & sequenti anno alios tres
 fabros

fabros lignarios velut novos Apostolos *Sæc. XVIII.*
 pro novæ suæ Ecclesiæ fabrica & con- *A. C. 1737.*
 versione Gentilium præsertim Gronia-
 norum ablegabat, non alio tamen fru-
 ctu, nisi quod mox anno sequenti, un-
 de venerant, reversi, ubique inter po-
 pulos schismata & dissensiones confla-
 rint, novosque errores invexerint;
 quippe ipsimet illorum Pastores Stein-
 höferus & Oetingerus Calvinii, & Chi-
 liastarum commentis imbuti erant, ac
 demum Sinzendorffius arguebatur,
 quod de Socinianismo suspectus varias
 cantilenas multis erroribus infectas, &
 ab ipso Electore Hannoverano damna-
 tas suis præscripserit, seque nec Luthe-
 ranum, nec Calvinistam esse cum suis
 confessus sit. Palmaris insuper, quæ
 Comiti identidem obiiciebatur, accu-
 satio erat, quod docendi munus sibi si-
 ne legitima vocatione (uti quondam
 Lutherus) arrogaret: Hanc vero cri-
 minationem, ut a se dilueret, Beroli-
 num contendit, & se in particularem
 Bohemorum Moravorumque Fratrum
 Episcopum consecrari petiit. Præfigi-
 tur solemnitati hujus anni dies vi-
 gesima Maij, qua Berolini Comes &
 simul Nitschinannus Faber Lignarius
 a Daniele Ernesto Jablonskyo & Sitko-
 vio Calvinistis in Episcopos consecrati
 fuere: sed quarum demum Communi-
 Hist. Eccles. Tom. LXXV. X x tatum?

Sæc. XVIII. tatum? non Calvinistarum, ambo
 A. C. 1737. enim hi recens cocti Episcopi erant
 Herenhanæ communitatis; non He-
 renhanæ; nam herenhanani hos in
 Episcopos esse ordinandos nequidem
 sciverant, minus vero eligi petierant,
 aut ipsimet elegerant: & insuper Ja-
 lonskyus & Sitkovius erant Calviniani
 Pseudo-Episcopi, proin non alium,
 quam Calvinianum Episcopum conse-
 crare voluerunt, ac potuerunt: falsissime
 ergo in eorum relatione assertum est,
 quod alii Episcopi & communitates
 Comitem juncto consilio in Episcopum
 vocarint, atque elegerint, nam uter-
 que Consecrator erat Calvinista, &
 Bohemi Fratres prius ad Lutheranam
 & primum postea ad Calvinianam acce-
 sere Ecclesiam, rejecta Herenhanana.

Percepta hac joculari inaugura-
 tione Joannes Cantuariensis Pseudo-Ar-
 chiepiscopus ad novum hunc Episco-
 pum die decima Augusti Wetmonaste-
 rio has gratulatorias dedit literas: „Vi-
 „ro admodum Reverendo Domino Ni-
 „colao Ludovico Morav. Episcopo, „Vi-
 „hannes, Cantuariensis salutem pluri-
 „mam.

„Sanctam illam vereque illustrem,
 „quibuscumque forte tenebris jam in-
 „voluta, Moraviensem cathedram, ad
 „quam

„quam favente divino Numine, plau- Sæc. XVIII.
 „dente cælesti choro (id enim dubita- A. C. 1737.
 „re nos haud finit, quam de Te con-
 „cepimus, opinio) nuper es evectus,
 „sincere atque ex intimo corde gratu-
 „lor. Qui tibi haud sine eximio me-
 „rito tuo delatus honos, ut Ecclesiæ
 „salutaris sit, nec tibi tuisque unquam
 „pœnitendus, ardentissime contendo.
 „Hoc enim fastigio, quo divina me pro-
 „videntia, utcumque imparem, con-
 „stituit, penitus essem indignus, nisi
 „me universo Dei populo pro virili
 „opem ferre, semper exhiberem para-
 „tum, vos autem præ ceteris amem
 „atque amplectar, qui nec periculis
 „terruti, nec aliis quibusvis Satanæ
 „πειρασμοῖς seducti, una cum pura pri-
 „mævaque fide, primævam Ecclesiæ
 „disciplinam constanter adhuc, ut ac-
 „cepimus, tuentes, arctiori nobiscum
 „vinculo conjuncti estis. Precibus me-
 „tuis, oro, vicissim adjuves, Coepi-
 „scopis autem tuis totique, cui te
 „Deus præesse voluit, Christiano gre-
 „gi, salutem nomine meo impertias.
 „Vale.

Cæterum Augustus III. Poloniæ
 Rex ac Saxoniz Elector adversus pri-
 vata Herenhutanorum conventicula in
 superiore Lusatia habita, & clancula-
 X x 2 rias

Sæc. XVIII. rias eorum Ecclesias die prima Julii se
 A. C. 1737. verum edictum promulgari iussit.

§. XXXVIII.

*Cæsaris vigilantia in libros Religionis
 Catholicæ injuriosos.*

Ducentis abhinc annis Lutherani Epochas ac memoriam eorum quæ in sua Secta præclarius utiliusque gesta arbitrabantur, anniversaria solemnitate in pluribus locis festive celebrare consueverunt. Sic ferias agunt celebres a Bibliorum per Lutherum germanice redditorum memoria, solemnes illis sunt dies a Confessione Augustana Carolo V. Imp. exhibita, ac religio & Westphalica pace, a Smalcaldicis articulis, a morte Lutheri, reformationis investæ beneficio, a Prædicatoribus Augustam reversis, a memoria interimistica, a libris Normalibus vel symbolicis, a variis Ecclesiis, Lutheranis universitatibus &c. recens erectis, a fundato novo Ordine Florum Peguliano &c. Nec omnino vituperanda est annua grataque hæc recordatio beneficiorum, quibus Lutherani se cumulos gloriantur, dummodo non nimis luculenter pueritiam, ac juventutem Religionis ac Ecclesiæ suæ testaretur: quo enim

enim fato contigit, quod ducentis retro annis in nullo Codice, in nullo Scriptore, in nullo lapide, in nullo terrarum angulo vel obscura unquam reperta fuerit novæ hujus Religionis memoria, aut Biblia ad Lutheri normam vel liber symbolicus, vel hujus fidei confessio, itē nulla memoria alicujus cantilenarum libri, nullum vestigium alicujus Ecclesiæ (omnes enim, quas a Lutheri ævo usque ad hanc diem in universo Orbe possident, aut Catholicis eripuerunt, aut ipsi recens erexerunt) nullum novæ hujus Religionis monumentum in antiquissimis Templis, nulla recordatio celebris alicujus Superintendentis aut Prædicantis vel quarundam Synodorum Oecumenicarum vel Nationalium, cujusdam Universitatis, Communitatis, Scholæ, & quod præcipuum est, Doctrinæ, quæ in omnibus articulis Lutheranæ consona fuisset. omnium horum certus annus, certa dies, & indubitata epocha, qua incepere, intra novissima hæc duo sæcula sine omni controversia assignatur; scio equidem in his rebus non consistere summam Religionis: Quis autem credat, per mille quingentos annos in aliqua tam celebri ac universali Ecclesia, si exstitisset, nihil præclari, nullum miraculum aut beneficium singulare

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Sæc. XVIII
A. C. 1737

lare, nullas solemnes Ecclesiarum dedicationes, & nullam Ecclesiae persecutionem contigisse, nullos Missionarios, Martyres, insignes Ecclesiae Patres, doctores Theologos &c. existisse, aut aliud quicquam accidisse, cujus celebritas ad posterorum memoriam transmissa fuisset. Habet a primis sæculis Ecclesia Romano-Catholica imo & Synagoga suas festivitates, quibus Divina beneficia, aliasque gratias in omni sæculo receptas, aliosque eventus æterna memoria dignissimos festiva ac annua solemnitate celebravit, ac celebrat: exstant ubique illorum monumenta, & ipsa etiam saxa hujus Ecclesiae antiquitatem loquuntur. Et sola Ecclesia Lutherana tam infausto fato nata & enutrita sit, ut nullum omnino suæ senectutis testem coævum, authenticum monumentum, imo nequidem obscurum vestigium ante Lutherum unquam exhibere potuerit? Omnia, quae de hac nova Ecclesia videntur ac leguntur, non nisi ducentorum & paulo amplius annorum ætatem produnt. Sed hæc aliis ponderanda relinquo: Ad Historiam regredior.

Hoc igitur anno Lutherani variis locis publica solemnitate celebrabant anniversariam Smalcaldicorum articulo-
culorum

culorum memoriam; nec in suo zelo Sæc. XVIII.
A. C. 1737.
 segniores esse videbantur Francofor-
 dienses, quorum Majores præter Con-
 fessionem Augustanam hos quoque ar-
 ticulos pro libris Symbolicis olim rece-
 perant. Huic solemnitati prælusit Chri-
 stianus Münden Lutheranus Præco,
 qui Smalcaldicos hosce articulos non
 modo nova editione honorare voluit,
 sed insuper eos in suis ad populum con-
 cionibus imo & in puerorum catechesi
 explicare non erubuit, quamvis ipse
 met falsus esset, in iis a Lutero con-
 ceptis tam acerba ac virulenta contra
 Papam & Catholicos contineri verba,
 ut sat probabile sit, quod propterea il-
 los Concilii Tridentini Patribus porri-
 gere, ipsimet Lutherani haud ausi fu-
 isent: Sub idem ferme tempus Varren-
 trappius & Andrea Francofordienses
 Bibliopolæ impium, sacrilegum & ad
 Religionis Catholicæ irrisionem diabo-
 lica arte compositum librum venalem
 exposuerunt, sub titulo: *Gesta MADON-
 NÆ id est Beatissimæ Virginis Mariæ &
 S. Francisci de Assisio ex variis Romano-
 Catholicis scriptis collecta, & jocosò Sty-
 lo exhibita, ex qua falsitas Papatus sine ul-
 la controversia, sat luculenter proditur,*
*antea a Renoultio olim Romano ac Catholico
 Concionatore Gallice conscripta, nunc ob
 sui raritatem Germanice reddita, Colonia*

Sæc. XVIII ad Rhenum 1736. Hic Apostata quic-
A. C. 1737. quid Orci malignitas, & Calviniana
 procacitas excogitare poterat, corrasit,
 & a Catholicis Scriptoribus edita ad-
 mixtis falsitatibus, commentis, fabu-
 lis, scurrilibus facetiis, mendaciis &
 impiis interpretationibus proterve com-
 maculavit. Cum autem ejusmodi pro-
 brosis rapsodiis Religionem proscindere,
 talesque libros componere ac vendere
 jam dudum salutaribus Imperii Consti-
 tutionibus prohibitum esset, maxime
 offensionis argumentum erat, in Impe-
 riali Civitate magna ex parte Catholi-
 ca in odium & contemptum veræ Re-
 ligionis occasione cujusdam publicæ so-
 lemnitatis ejusmodi libros a Lutera-
 nis nulla prorsus injuria lacessitis di-
 vulgari: ea de causa Catholici justo
 Religionis Zelo accensi Deo ejusque Ec-
 clesiæ illatas injurias vindicare, omni-
 bus viribus adlaborabant, ac præ ce-
 teris celeberrimus Joannes Amos Cæ-
 sareæ Ecclesiæ ad S. Bartholomæum
 Decanus, Urbisque Parochus in Felto
 Corporis Christi adversus novam Smal-
 caldicorum articulorum editionem
 Francofordiensem vehementer ad po-
 pulum dixit, comprobatumque reddi-
 dit, hoc attentatum Imperii legibus,
 ac Cæsareis statutis recta adversari,
 debitamque venerationem erga supre-
 mum

mum Imperii & Christianæ Reipublicæ Sæc. XVIII.
 Caput, aliosque Reges, Principes & A. C. 1737.
 Potestates graviter violari, cum hi om-
 nes eam publice profiteantur Religio-
 nem, quæ tamen in præcipuis fidei ar-
 ticulis præsertim circa Missæ sacrificium
 tam petulanter his articulis proscindi-
 tur: insuper ostendit, per hosce teme-
 rarios ausus, sparsosque infames libel-
 los, ac publicas declamationes adeo
 necessariam inter Cives & incolas pacem
 ac concordiam aperte perturbari &c.

Nec his stabat æquissimus Catholi-
 corum fervor tanta Novatorum petu-
 lantia irritatus; quippe adversus ut-
 rumque infamem libellum suas quere-
 las ad Cæsareum librorum Commissa-
 rium, & Baronem de Wezel Cæsareum
 Francofordiæ, ut vocant, *Residentem*
 detulere, qui etiam totam rei seriem
 ad Imperiale Consilium Aulicum per-
 scripsit, ac die vigesima nona Julii
 transmissa utroque injurioso scripto per
 Varrentrappium & Andream Bibliopo-
 las divulgato retulit, aliquot abhinc
 mensibus Lutheranos singulare odium
 contra Religionem Catholicam prode-
 re, se proin summam Cæsaris æquita-
 tem hac in re implorare. Ad hanc re-
 lationem decretum fuit die decima no-
 na Augusti, Cæsarei Residentis quere-
 las

Sæc. XVIII. las Cæsareo Fiscali esse communican-
 A. C. 1737. das, ut hic contra Francofordiensem
 Prædicantem pro officii sui ratione
 procedat. Pariter Fiscali Cameræ Im-
 perialis Wezlariensis rescribi præcep-
 tum, Cæsareæ suæ Majestati relatum
 esse, apud Imperialis Cameræ Tribu-
 nal a Cæsareo librorum Commissario
 nuntiatum fuisse, quod non ita pridem
 scandalosissimus liber sub titulo: *gylt*
Madonæ Auctore Renoult publici juris
 factus & legitimæ desuper citationes
 Varrentrapii & Andree fuissent inter-
 positæ, proin Cæsaream suam Maje-
 statem Fiscali præcipere, ut saltem in-
 tra bimestre referat, quousque apud
 præfatæ Cameræ Tribunal hæc causa
 processerit.

Quamprimum Lutheranus Franco-
 fordienlis Magistratus rem serio urgeri
 intellexerat, mox die septima Septem-
 bris supplices ad Carolum Cæsarem li-
 teras dedit, atque audacter exposuit,
 Cæsareo-Aulici Consilii conclusum de
 die decima nona Augusti *per meras sub-*
Et obreptiones extortum fuisse, ac prop-
 terea Magistratum petere, ut Impera-
 tor præfatum Conclusum aboleat, aut
 saltem Wezelianam denuntiationem ei-
 dem communicet, & quidem I. quia
 articuli Smalcaldici sunt liber Symbo-
 licus

licus ex Lutheranorum Electorum & Sæc. XVIII.
 statuum mandato anno 1537. composi- A. C. 1737.
 tus, unanimi assensu receptus, pub-
 lico prælo datus, propugnatusque &
 postea per Religiosam & Westphalicam
 pacem ab omni persecutione juris & facti
 præmunitus sit velut fidei confessio Lu-
 theranæ Ecclesiæ seu Augustanæ Con-
 fessionis addictorum. II. Quia vi publici
 exercitii, quod tribus in S. R. Impe-
 rio quoad effectus civiles æqualibus, &
 paria jura habentibus Christianis Reli-
 gionibus concessum est, necessario se-
 quitur, quod Doctores ac Concionato-
 res in suis Concionibus, aliisque insti-
 tutionibus nec non in editis libris suæ
 Religionis (*) articulos proponere, de
 iis

(*) Profecto Religio Catholica pro libro sym-
 bolico eum habere erubesceret, in quo alterius
 Religionis Protoparens vocitaretur Antichri-
 stus, hæreticus, idololatra, hujusque Religio-
 nis etiam si oppositæ, cultus appellaretur impius
 sacrilegus, maxima & horrenda abomina-
 tio, humanum commentum, abusus, nun-
 dinatio, Draconis cæuda, ex qua multa in-
 secta & multiplicis idololatriæ colluvies proge-
 nita est, Diabolicum spectrum, fœdæ &
 abominandæ nundinæ, ignes fatui, diaboli lu-
 dibria, fœdus Judas, seu Papa, Leo rugiens,
 Tur-

Sæc. XVIII. A. C. 1737. iis tractantes libros symbolicos exponere, contrariamque doctrinam, quæ eis propterea iniquum Religionis odium imputari possit, modeste refutare, suosque Auditores & fidei Confortes hac ratione in suæ Religionis soliditate ita formare possint, ut de ea potenti rationem reddere queant &c.

III.

Turcis & Tartaris pejor, puerorum crepundia, stultitiæ &c.

Et quis credat saniores Lutheranos pro libro symbolico habere articulos Smalcaldicos, in quibus allegata hæc dicteria in Papam Sacerdotes, Catholicos, eorumque ritus pleno alveo effusa tam abominandum foetorem exhalant, ut ipsimet Francosfordienses in sui sui-que Prædicantis defensionem exponere non dubitarint, quod hic Præco duriora verba a Lutero in his articulis usurpata emollire conatus sit: Si ergo Lutherani hos articulos pro libro symbolico Imperii statutis tolerato haberi volunt, expungant probra, calumnias, convitia & dicteria Christianæ charitati adeo dissona, & tum moderatiores erunt eorum quoque asseclæ, sicque conformabunt se Imperii statutis, quæ quamcunque Religionem ejusmodi probris laceffere prohibent, formidabunt etiam suas festivitates publicis cantilenis Religioni Catholicæ, ejusque supremo Capiti

III. Quia Mündeno Prædicanti vi- Sæc. XVIII.
tio verti nequit, quod in suis Concio- A. C. 1737.
nibus hunc librum symbolicum expli-
caverit, & hac occasione dependentes
inde doctrinas attigerit, easque mo-
deste confutarit.

IV. Quia plures ex Catholicis, qui
ejus Concionibus interfuere, testantur,
ipsum (uti semper) ita & hac in occa-
sione rem apte proposuisse, cunctas-
que acerbitates aut prohibitas calum-
nias sedulo declinasse, nec unquam le-
gitimos Evangelici Præconis limites
transgressum fuisse.

V.

piti ac membris summopere injuriosis augu-
stiores reddere, prout tamen hoc anno Lubec-
censes pro celebranda horum articulorum so-
lennitate propudiosam hanc cantilenam a Li-
centiato de Selen compositam publice musi-
co concentu produxere:

Wie der schmalkaldischen bekennen Schaar
ein neues Zeugniß abgelegt,
so nöthig es damahls war;
indem der Antichrist es wagte
und wider kühnlich sagte,
der Lutheraner Satz ist ungewiß:
du rasest Paule, da du meinst
es komm auf deinen Ausspruch an &c.

Sæc. XVIII. V. Quia aliunde Conciones Imperii
 A. C. 1737 statutis contrariæ a Magistratu non per-
mittuntur.

VI. Proin extra dubium est pos-
 tum, quod Baro de Wezel, qui jam
 olim contra Lutheranos frivolas que-
 relas ad Cæsaream suam Majestatem
 detulit, fallis invidorum relationibus
 plusquam par est, confusus, minus
 æquam denuntiationem fecerit.

VII. Id manifestius apparet, si
 ejus denuntiatio communicaretur, ac
 sincerius rei seriem exponendi copia
 Magistratui fieret.

VIII. Hæc autem communicatio
 eidem eo minus denegari potest, quo
 æquior inique oppressorum defensio est,
 & ad maximum ac commune omnium
 Lutheranorum Imperii Statuum præ-
 judicium, necnon ad liberi Religionis
 exercitii imminutionem vergeret, si si-
 ne urgente necessitate & ad nudam nec
 probatam quorundam de sinistro affe-
 ctu aut de Religionis odio (*) aliis in-
 nocen-

(*) Plane ii, qui tanto studio Smalcaldi-
 cos hosce articulos diſtertiis ac convitiis, quæ
 non modo Christianus, sed honestus danta-
 xat animus abhorret, contaminatos novo præ-
 lo fidelium oculis & auribus obtrudunt, de
 vail-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

nocenter imputato suspectorum denun-
tiationem egregii Concionatores Lu-
therani fiscali judicio gravarentur, &
immerito propterea non modo acquisito
honore & fama privarentur, sed etiam
libere suo officio fungi præpedirentur
&c.

Attamen Josephus Hageck de Wald-
stetten Cæsareo Imperialis Consilii Fis-
calis hujus apologiæ innanitatem lucu-
lenter detexerat, datis ad Cæsarem
hisce literis.

Augustissime Imperator!

„Præter prolixiores Cæsarei Con-
silio Fiscalis resolutionem aliunde suæ
„Majestati notum est, atque ex conclu-
„sa

vatiniario Religionis Catholicæ odio vel ideo
convincuntur, eo quod ipsemet Lutherus
horum articulorum faber Smalcaldio ob peri-
culosum morbum eductus, suis Discipulis &
concionatoribus *tanquam supremam volunta-
tem ac Testamentum* (ut ait Matthesius in vita
Lutheri pag. 115.) hæc verba prorsus Evan-
gelica inculcasset: *Impleat vos Deus odio Pa-
pæ; forte Deus & Christus Dominus in sua
lege, atque Evangelio, loco Benedictionis
præcepit, ut odio haberentur inimici, & pro-
ximi, ne dicam, innocui, & summi Prin-
cipes?*

Sæc. XVIII. „sa Religiosa pace anno 1555. & ex vi
 A. C. 1737. „riis postea emanatis Imperii recessibus
 „præsertim ex Politicis anno 1575. sta-
 „tutis art. 35. necnon ex edicto ab ipsa
 „Cæsarea sua Majestate anno 1719.
 „promulgato abunde constat, omnibus
 „cujuscumque status essent, sub severi-
 „sissimis pœnis prohibitum esse, unam
 „ex tribus in S. R. Imperio receptis
 „Religionibus *contumeliosis ac injuri-
 „verbis*, aut scriptis impressis impugna-
 „re & traducere: Adversus hæc tam
 „salutaria & ad quietem & concordiam
 „collimantia Imperii statuta, nihilomi-
 „nus, prout ex Cæsarei Francofordiæ
 „Residentis Ministri die vigesima septi-
 „ma Julii per conclusum juxta officii
 „sui debitum Fiscali Cæsareo commu-
 „nicata relatione patet, quod *Christia-
 „nus Münden Francofordiensis Ministe-
 „rii Senior* præsumperit, non modo
 „in habitis Concionibus suis illicita
 „prorsus convitia in Catholicam Reli-
 „gionem, & cultum Divinum e pulpi-
 „to palam & proterve effatire, sed
 „etiam currente hoc anno 1737. ejus-
 „modi libellum sub titulo: *Articul-
 „Smalcaldici* publicis typis edere, qui
 „injuriousissimis ac protervis calumniis
 „passim infartus est (prout in Exem-
 „plari præsentis causæ actis adjuncto
 „in locis rubra linea subductis ad ocu-
 „lum

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„lum elucet (ubi non solum Catho-
 „licorum cultus & præcipue S. Missæ Sa-
 „crificium tanquam omnium maxime
 „horrenda abominatio Papisticarum
 „(uti vocitatur) idololatriarum, ac ceu
 „sceleratissima & damnanda nundina-
 „tio, purgatorium vero velut Diaboli
 „spectrum, & Pontifex ceu fœdus Ju-
 „das & Antichristus, (*) imo & Dia-
 „bolus ipsemet traducitur aliisque plu-
 „ribus ejusmodi infamibus prædica-
 „mentis proscinditur, sed & insuper in
 „toto contextu adeo pudendus stylus
 „adhibetur, ut cuilibet pacis æquita-
 „tisque studioso animo justam indigna-
 „tionem extorqueat. Cum ergo nihil
 „perniciosius, simulque ad manifestan-
 „dam convitiandi proæresin nihil lucu-
 „lentius

(*) Si in Symbolo, quo utitur Ecclesia Romana, si in professione fidei a Pio IV. præscripta, si in Synodo Tridentina, in Catechismo Romano, vel aliis Symbolicis, si ita loqui lubet, Ecclesiæ Catholicæ libris Lutherus vel alii hujus Sectæ Principes vocitentur Judæ Iscariotes, Antichristi, Diaboli &c. aut eorum Cœna Dominica, & confessio appellaretur Prædicantium nundinatio, quæstus, Draconis cauda, multiplex idololatria &c. Quam altum exclamarent Lutherani,
Hist. Eccles. Tom. LXXV. Y y ni,

Sæc. XVIII. „lentius esse noscatur, quam præ cete-
A. C. 1737. „ris aliis studiose majusculis literis pro-

„terve impressa sacrilega hæc verba:
 „Über das alles hat dieser Drachen-
 „schwanz die Messe viel Ungeziefers, und
 „Geschmeis, mancherley Abgötterey ge-
 „zeuget: Cumque hic Præco insuper li-
 „brum suum ceteris quoque Prædica-
 „tibus Francofordiensibus nuncupavit,
 „eosque animavit, ut hic liber per par-
 „tes in Matutinis Concionibus expli-
 „cetur, & in meridianis fidei præ-
 „ceptionibus juventuti inculcetur,
 „plane considerato tam manifesto, &
 „sole meridiano clariore inexcusabili
 „facto nil aliud reliquum est, nisi ut
 „contra

ni, quot gemitus, horrendosque ejulatus in
 finum Ratisbonensium Oratorum effunderent
 in eos, qui ejusmodi libros Symbolicos no-
 vis prelis subiicerent, aut in publicis Concio-
 nibus, & puerorum institutionibus explana-
 rent? Nequidem placido animo ferunt, eo-
 rum dogmata a Tridentinæ Synodi Patribus
anathemate perculsa, cum tamen hic antiquis-
 simus SS. Patrum & Synodorum, quas ipsi
 recipiunt, mos fuerit: Ast Imperii leges Pro-
 testantium doctrinas quidem in tuto collo-
 cant, scommata tamen & convitia, quibus
 conspurcantur; uti ipsa honestas suadet, dete-
 stantur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

„contra Auctorem ad bene promeritam
 „pœnam procedatur, idque eo minus
 „vel intermittendum vel differendum
 „videtur, quo protervius (*) præfatus
 „Christianus Münden insuper supradi-
 „ctum Cæsareo - Anlici Imperialis Con-
 „siliî conclusum unacum existimata sua
 „defensione eruditus (ut vocantur)
 „Francofordiensibus novellis imprimi
 „curavit, hocque ausu Publicum, ve-
 „lut Judicem Cæsareæ sententiæ, im-
 „ploravit. Iterato igitur Cæsareus Fis-
 „calis Sacræ Cæsareæ Majestati suppli-
 „cat, ut ad aliorum terrorem præfa-
 „tum Prædicantem promeritæ multæ
 „viginti Marcarum auri reum declaret,
 „simulque pro hujus libri proscriptione
 „necessarium mandatum Cæsareo libro-
 „rum Commissario dare velit“.

Y y 2

§. XXXIX.

(*) Addi potuisset, quod idem Præco
 aller Hindernisse ungeachtet, von neuem eine
 Rede in dem angelegten Seminario Theologico
 (zu Frankfurt) durch einen Candidaten habe hal-
 ten lassen. . . . Diese öffentliche Rede (hat)
 dahin geziehet, auctoritatem articulorum
 Smalcaldicorum Symbolicam, a nonnullis te-
 mere impugnata[m] zu behaupten. Vid. acta Hi-
 storico - Ecclesiastica tom. 2. pag. 674.

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

§. XXXIX.

Judicialis citatio præfati Prædicantis.

Nimis æqua erat Cæsarei Fiscalis petitio, nimis manifesta hujus Præconis culpa, nimisque alti læsæ Religionis clamores, quam ut religiosissimus Imperator ad promeritam vindictam aures ac manus claudere potuisset. Die igitur vigesima octava Februarii anno sequenti datis Vienna literis hunc Prædicantem coram comparere jussit, edito hoc mandato:

Carolus VI. &c.

„Tibi Christiano Münden Ministerii
 „Seniori in nostra & Imperii Civitate
 „Francofordiensi notum facimus, quod
 „noster Cæsareo - Aulici Consilii Fiscalis
 „Dominus Josephus Hageck de Wald-
 „stätten perdemisse nobis significavit,
 „quod non modo in tuis Concionibus
 „ex publica Cathedra Catholicam Re-
 „ligionem, ejusque Divinum cultum
 „illicitis plane convitiis proterve pro-
 „scindere, sed etiam anno 1737. libel-
 „lum sub titulo *Smalcaldici articuli pub-*
 „licis typis vulgare ausus sis, et si hic
 „liber petulantissimis, dirissimisque
 „con-

„convitiis passim turgeat : supplicavit Sæc. XVIII.
 „igitur Fiscalis, ut te propter hosce A. C. 1737.
 „ausus tam nostris quam Imperii san-
 „ctionibus de anno 1715. promulgatis
 „edictis prohibitos, minus vero in Con-
 „cionibus & libris divulgandos in mul-
 „ctam viginti marcarum auri incidisse
 „declararemus, prout pluribus in an-
 „nexa copia hujus querelæ videbis.
 „Cum ergo re maturius ponderata, ac
 „poscente justitia hodie decretum fue-
 „rit, ut contra te Fiscalis citatio fie-
 „ret, hinc ex Romano-Imperiali po-
 „testate necnon ex justitiæ æquitatis-
 „que debito te Christianum Münden-
 „Doctorem evocamus & citamus, ut
 „intra bimestre post insinuatam ac pub-
 „licatam hanc Imperialem nostram ci-
 „tationem, quam tibi pro primo, se-
 „cundo, tertio, ultimo & decretorio
 „termino statuimus, & peremptorie
 „decernimus, vel si eo die judicialis Sef-
 „sio non habetur, in proximo vel per
 „te vel per idoneum Procuratorem in
 „Cæsarea nostra Curia, ubicunque tum
 „erit, compareas, ut videatur & in-
 „spiciatur, ante te ob præfatas causas
 „in poenam viginti marcarum auri in-
 „cidisse jure & juste pronuntiari, cog-
 „nosci & declarari possit, vel an gra-
 „ves solidasque causas forte afferre
 „possis, ob quas præfata declaratio
 Y y 3 „non

Sæc. XVIII. „non fiat, ac demum causæ, omnium
A. C. 1737. „vadimoniorum terminorumque finis
 „usque ad rei decisionem & decretorium
 „judicium expectetur. Sive demum
 „tu, utpote accusatus, tum compe-
 „reas, sive non, nihilominus ad Cæ-
 „sarei ac Imperialis Curie Fiscalis pe-
 „titionem præfata causæ cognitio ac
 „declaratio aliaque de jure requisita lo-
 „cum habebunt, prout judicii forma
 „& merita causæ postulabunt. Hæc
 „tibi ad instructionem dicta sunt &c.
 Postea cum citatus Præco comparere
 negligeret, Cæsareo-Aulicum Impe-
 rii Consilium Præsidente Arnolde Henri-
 co de Glandorff die decima sexta Ju-
 nii decrevit, Prædicanti ex officio bi-
 mestris terminum, intra quem eman-
 natæ citationi sub pœna confessi pare-
 ret, esse indulgendum.

§. XL.

*Francofordiensis Magistratus libellus
 supplex ad Cæsarem.*

Ex communicata Cæsarei Fiscalis de-
 nunciatione & Cæsaris literis ad
 Ministerii Seniores datis Francofor-
 diensis Magistratus rem in præcipiti &
 lubrico stare, probe prospexerat; hor-
 rendas enim illas blasphemias & con-
 vitia

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

vitia in Papam & Religionem Catholi-
cam effusa reipsa, prout Fiscalis de-
nuntiaverat, in articulis Smalcaldicis
reperiri, inficiari nequidem petulan-
tissimus audebat; hos vero articulos
unacum injuriosissimis hisce probris a
Prædicante iterato prælo editos, ab
eoque in publicis viginti quatuor Con-
cionibus, & catechetica puerorum in-
stitutione explicatos fuisse, ipsemet
Præco, totaque Civitas testabatur:
Quid ergo ageret, quid Cæsari respon-
deret, Lutheranus Francofordiensis
Magistratus? ad consueta igitur reo-
rum effugia recurrendum erat, & Re-
sidentis denuntiantis relationem ceu
minus fundatam, & veritati contrariam in-
cusare, consultum videbatur: Præte-
rea Magistratus ad conservanda Luthera-
nis Imperii Statibus & ratione Jurisdictionis
Ecclesiasticæ sibi etiam competentia jura
Cæsari exponendum esse censebat. I.
Quod Clerici Catholici, si in sacro Mi-
nisterio defuisse, vel a Catholicæ fidei
doctrinis defecisse accusantur, coram
supremo Imperii Tribunali non conve-
niantur, nec ibi suas querelas contra
Ecclesiasticos suos superiores deferre
queant, sed omnes ejusmodi caussæ
ad jurisdictionem Ecclesiasticam perti-
nentes unice in Ecclesiasticis curiis, ac
demum

Y y 4

Sæc. XVIII. demum coram Apostolica sede decidi
 A. C. 1737. queant.

Inde vero necessario sequeretur. II.
 Quod, quia vi pacis West. art. V. §. 1.
inter utriusque Religionis Electores, Prin-
cipes, status omnes & singulos talis exacta
æqualitas observanda est, ut quod uni
parti iustum est, alteri quoque sit iustum,
 Evangelici Doctores ac Prædicantes
 nec deterioris nec melioris conditionis
 esse queant, sed

III. In ejusmodi casibus unice &
 duntaxat coram eorum Evangelicis
 Principibus aut Imperii Statibus, &
 constitutis per eos Curiis aut Consi-
 toriis eo certius conveniendi sunt, eo-
 rumque decisionibus sese subicere te-
 nentur, quo firmiter juxta P. W. art.
 5. §. 48. *Jus Diæcesanum & tota Juris-*
dictio Ecclesiastica, cum omnibus suis spe-
ciebus, contra Augustanæ Confessionis Ele-
ctores, Principes, status, eorumque sub-
ditos suspendatur, & cujusvis Territo-
rio annexa sit, & Imperii status in suis
juribus, prærogativis, libertate, pri-
vilegiis, libero juris territorialis tam in
Ecclesiasticis quam politicis exercitiis
 sub nullo prætextu juxta P. W. art. 8.
 §. 1. turbari queant, proin

IV. Lutheranis statibus in eorum ter-
 ritoriiis quoad Ecclesiasticam jurisdic-
 tionem

nem, ejusque exercitium æquale omnino jus, prout illo Pontifices ac Episcopi in Catholicis statibus etiamnum independenter fruuntur, habent, idque præter alios a Corpore Evangelicorum aliisque Lutheranis Cameræ Præsidentibus & Assessoribus propugnatum fuisse, videri possit in Fabri Europ. Cancell. tom. XXVII. pag. 1. & p. 130. & seqq.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

V. Inde gravissimum oritur dubium *ratione competentiae fori*, an scilicet Cæsareæ vestræ Majestatis Aulico-Imperiali Consilio, ad quod in præsentî causa, etsi de se non fundatæ, accusationes fuerunt delatæ, cognoscendi jus competat, ejusque jurisdictio fundata sit, eoquod allata a Cæsareo Fiscali Politicæ statutum de anno 1577. art. 35. & anno 1715. a Cæsarea sua Majestate promulgatum edictum de famosis libellis & contumeliosis scriptis, ad libros symbolicos unius ex tribus Religionibus addictæ Ecclesiæ, vel Polemica Theologorum scripta, etsi Doctrinalia ad speciem durioribus (*) ad rei summam

Y y 5 mam

(*) Ergo datur in Orbe Christiano Ecclesia, ad cujus doctrinæ summam & essentiam spectant convitia, calumniæ, horrenda maledicta,

Sæc. XVIII. mam tamen spectantibus verbis sint ex-
 A. C. 1737. pressa, applicari nequeat; insuper hæc
 edicta supponunt, legitimos Superiores, desuper aut monitos aut conscios, hac in re negligentes fuisse nec puniisse quod tamen nobis nullatenus imputari potest, (*) cum nullum ne minimum quidem defectum a Doctore Münden commissum deprehenderimus, sed potius ii, qui ejus Concionibus interfuerunt, testimonium fide dignum dederint, & etiamnum dare parati sint, quod Præco decenti moderatione, uti semper
 hæc-

dicta, & impia probra, quæ etiam in ore honesti Viri blasphemix forent, in Ecclesiam, & Religionem non modo in Imperio sed in toto Orbe per octodecim omnino sæcula receptam ejusque supremum Caput summis etiam Principibus venerandum petulanti calamo effunduntur? Ergone aptissimus convitiandi modus, & Imperii poenas in alterius Religionis convitiatores statutas effugiendi medium est, si ejusmodi convitia libris symbolicis hujus Ecclesix inserantur: saltem ad Christi doctrinam, & Evangelii summam unquam ejusmodi Scommata pertinuisse, auditum non est.

(*) Hos tamen articulos publico prælo unacum insertis convitiis excusos, publice explanatos, & ab hoc Prædicante defensos fuisse, notissimum erat.

hactenus consueverat, rem exposuerit, Sæc. XVIII.
 & duriora verba ac phrasas in Smalcal- A. C. 1737.
 dicens articulis subinde contentas (prout
 eas in historica sua præfatione novæ
 editioni præfixa §. II. excusaverat)
 in suis quoque Concionibus omni, quo
 potuit modo, *Salva tamen doctrina,*
 emollire & temperare studuerit (*)
 proin legitimas Evangelici Prædican-
 tis limites non sit transgressus, aliunde
 vero nova Smalcaldicorum articulorum
 editio ab ipso suscepta & a Fiscali seu a
 Barone de Wezel male interpretata,
 sit res in Imperii legibus & religiosa pa-
 ce licita & irreprehensibilis (**);
 quippe

VI.

(*) Dubitant aliqui, an ille a calumniæ &
 convitii crimine satis purgatus sit, qui con-
 tra Principem vel Magistratum, ejusque sta-
 tuta libellum famosum recudi curat, eumque
 subditis ad institutionem inculcat, simul ta-
 men coram aliis desuper sermonem habet, in
 quo hæc convitia temperat, imo etiam excu-
 sat, quin prelum, quantum potest, revocet,
 sed potius hæc convitia, ut salva sit dicto-
 rum veritas, propugnet.

(**) Imperii legibus & pace Religiosa
 cautum est, ne quisquam publice privatimque
 concionando, docendo, disputando, scriben-
 do

Sæc. XVIII. VI. Dato non concessio & sine ullo
A. C. 1737. jurium statuum Evangelicorum præju-
 dicio, quod præfati Imperialis Con-
 filii jurisdictio esset fundata, nihilomi-
 nus per pacem religiosam & Imperii
 recessum August. anno 1555. §. 15. sa-
 lubriter cautum est, ne ullus Imperii
 status ob Confessionem Augustanam,
 ejus doctrinam, Religionem & fidem
 turbetur, aut alio quovis modo contra
 suam conscientiam, scientiam & vo-
 luntatem propter Augustanam Confes-
 sionem, (*) Religionem, fidem, Ec-
 clesie

do, vel consulendo Transactionem Passaviensem
 pacem religiosam uspiam impugnet, aut al-
 terutrinus Religionem convitiis impetat, si au-
 tem id in libris symbolicis fieri permissum es-
 set, una manu destrueretur, quod altera ædi-
 ficatum est.

(*) Nec propter Confessionem Augustana-
 nam, nec ob cetera contra Prædicantem mo-
 ta est querela, sed contra Religionis Catho-
 licæ irrisiones, injurias, calumnias, & puden-
 da convitia, ex quibus Augustanam Confes-
 sionem, & doctrinam conflari, aut ea ab Im-
 perii legibus & Imperatoribus harum legum
 Conditoribus approbari, per summum nefas
 diceretur: Querebantur ergo Catholici con-
 tra novum hunc convitiarum rectorum, ac
 inju-

clesiæ ritus, ordinationes, & cæremonias prout introductæ vel introducendæ sint, gravetur, sed in eadem Religione, fide, Ecclesiæ ritibus, disciplina & cæremoniis libere relinquatur: ideo

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

VII. Nullatenus Cæsareæ suæ Majestatis Imperialis Consilii Fiscali competeat, Smalcaldicos articulos, qui ab Evangelicis Imperii statibus, ut patet, tanquam liber symbolicus seu publica

lica

injuriam Religioni Catholicæ ab eo irrogatam reparari petebant præcipue cum in eodem recessu Augustano, eodemque loco disertis verbis ita pariter cautum sit, dargegen sollen die Stände, so der Augsburgischen Confession Verwandte gleicher gestalt Fürsten und andere des heiligen Reichs Stände der alten Religion anhängig Geistlich und Weltlich bey ihrer Religion, Glauben, Kirchengewohnheiten, Ordnungen, und Ceremonien unbeschwert bleiben, und sie derselbigen friedlich und rüthlich gebrauchen, genießen, unweigerlich folgen lassen und getreulich darzu (certe non injurando, aut convitiando) verholffen seyn, auch mit der That oder sonst in Ungutten gegen denselbigen nichts fürnehmen, sondern in allweg nach Laut- und Aufweisung des heiligen Reichsrechts, Ordnungen, Abschieden und aufgerichteten Landfrieden jeder

jeder

Sæc. XVIII. A. C. 1737. lica fidei confessio admiffa & recepta
fuere, & ut talis in Ecclesiæ nostræ

Actis recogniti sunt, unacum ibi contentis Evangelicorum Imperii statuum fidei doctrinis accerrime impugnare hosque articulos tanquam impium & contumeliosum scriptum denuntiare, & mere novam hujus, qui tamen per Religiosam pacem & Imperii leges contra omnes illegitimos insultus in tuto positus est, libri symbolici editionem velut tam enorme & piaculare crimen, ut etiam viginti marcarum auri multa plectendum sit, sugillare, ac ideo re-
cta Religiosæ paci (°) contrariam, ir-
ritam-

jeder sich gegen dem anderen an gebührenden ordentlichen Rechten begnügen lassen: alles bey fürstlichen Ehren, wahren Worten, und Vermeidung der Peen in dem aufgerichteten Landfrieden begriffen. Hæc verba, cum tamen sint præcipua querelæ contra Prædicantem motæ fundamenta, in Francofordiensi hac apologia le-
dulo omiffa fuere.

(*) In tota pace Religiosa non legitur, statutum fuisse, quod a Protestantibus Romanus Pontifex appellandus sit Judas, Antichristus, Diabolus &c. aut quod Catholicæ Religionis dogmata pudendis convitiis proscindenda sint: sane hæc licentia ad revocandam pacem & concordiam ineptissima fuisset.

ritamque fiscalem querelam ad imme- Sæc. XVIII.
 ritam vexationem Editoris suæque fa- A. C. 1737.
 mæ instituire, cum tamen

VIII. Nec ignorari possit nec de-
 beat, quod una ex parte Religionis dis-
 sidia, propter quæ Religiosa pax tam
 caro pretio acquisita & in Cæsareæ Ele-
 ctionis Capitulationibus & Westphali-
 ca pace efficacissime & strictissime con-
 firmata, ac ideo inita fuit, potissimum
 inde orta fuerint, quia Evangelici seu
 Augustanæ Confessioni addicti status,
 Catholicæ fidei dogmata in variis ca-
 pitibus & præcipue in illis, quæ in Fi-
 scali denuntiatione adducuntur, pro-
 irritis, & Divino verbo dissonis agno-
 vere, altera vero ex parte illa fidei
 dogmata, circa quæ Evangelica Ec-
 clesia a Catholica dissonat, tam in glo-
 riosissimæ mem. Carolo V. Cæsari anno
 1530. porrecta, & in Imperii Conven-
 tu præsentè ipso Imperatore palam præ-
 lecta Augustana Confessione, quam in
 apologia, aliisque symbolicis Evange-
 licæ Ecclesiæ Codicibus, necnon in
 eorum Theologicis ab hoc tempore edi-
 tis libris sine minima contradictione ex-
 plicata, declarata, & confirmata fuere: (*)
 quippe

IX.

(*) Saltem Ecclesia Catholica, Imperato-
 res, & Imperii Status nec ad hanc usque diem
 Luthe-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

IX. Conscientiæ libertas (sed non
convitiandi licentia) & publicum trium
in S. R. Imperio receptarum, & quoad
effectus civiles plene æquiparatarum
Religionum exercitium in pace Reli-
giosa

Lutheranos tanquam fidei Catholicæ Judices
agnovit, nec in ullo pacis tractatu. Fidei
Catholicæ dogmata pro erroneis ac Dei Ver-
bo contrariis fuere cognita aut sugillata.
Multiplex insuper hallucinatio ! Enimvero
Augustana Confessio anno 1530. Carolo V.
Imp. oblata est, falsum autem I. quod in ea
vel ullum scomma, quale in articulis Sma-
caldicis legitur, contineatur; ergo *causam*
Prædicantis non juvat allegata hæc Confessio-
nis traditio: falsum est II. quod *sine minima*
contradictione fuerit declarata: mox enim Ca-
tholici eam confutarunt, eorumque confuta-
tio composita jussu Cæsaris die 3. Augusti in
pleno confessu prælecta, & rogatis sententiis
ab omnibus Catholicis approbata est, ac de-
mum ab Andrea Fabritio Consiliario Bavario
latine edita fuit: nil dicam de sexcentis aliis
ejusdem Confessionis, ceterorumque libro-
rum symbolicorum confutationibus: & fal-
sum quoque III. quod Fiscalis Cæsareus cog-
gillarit articulos in confessione Augustana
contentos, quia duntaxat questus est de con-
vitiis in injuriam Cæsaris & ceterorum Prin-
cipum

giosa stabilitum præcipue in eo consi- Sæc. XVIII,
 stit, ut earum Doctores & Conciona- A. C. 1737.
 tores vel ore in pulpitis vel alia ratio-
 ne congrua aut impressis vel scriptis
 libris fidei doctrinam in thesi & antithe-
 si (sed non in lingua & calamo inju-
 riis & convitiis in alterutram partem
 effusis turgido) exponant, contrarias
 suorum Adversariorum quicunque de-
 mum sint, etsi alterutri ex publice re-
 ceptis Religionibus addicti essent, do-
 ctrinas debita ac Christiana moderatio-
 ne

cipum Cath. redundantibus. Præterea Con-
 fessio Augustana ejusque asserta, prout a Me-
 lanchtone (indignante Lutero) fuere a du-
 ris, odiosis probris & convitiis elimata co-
 ram Carolo V. Imp. fuere quidem prælecta,
 sed fatente ipso Melanchtone ep. I. ad Oben-
 burg *tristi & atroci sententia* damnata, & teste
 Cælestino Lutherano ex decreto Cæsaris finitis
 comitiis publicato rejecta: Quid ergo exin-
 de emolumenti in articulos Smalcaldicos,
 qui primum septimo post anno Lutheri cala-
 mo felle & bile atra tincto consarcinati fue-
 re, quos certe Carolus Imp. si exstitissent,
 non modo palam damnasset, sed nequidem
 tam sordidas spurcitas prælegi permisisset,
 ne honestæ Principum aures offenderentur.

Hist. Eccles. Tom. LXXV.

Z z,

Sæc. XVIII, A. C. 1737. ne (qualis, scilicet esset, si quis Religionem antiquam & publice receptam vocaret Diabolicam, Anti-Christianam, Babylonicam, meretriciam &c.) refutent, hacque ratione suæ fidei addictos & Auditores ita instituant, ut prout ipsis tam stricte in Dei verbo demandatum est, suæ fidei rationem dare queant. Et

X. Ex male fundato Cæsareæ suæ Majestatis Imperialis Fiscalis principio hoc: *Catholicæ fidei dogmata discutere & refellere, illicitum esse, (*)* ob exactam parificationem utriusque Religionis & Regulam in Inst. P. W. art. 5. §. I. stabilitam, *quod uni parti justum est &c.* necessario sequeretur, quod neque etiam Catholici Sacerdotes illos libros & scripta (Deo sint laudes, quod omnes symbolici Catholici libri ab omni Smalcaldica convitiatorum sentina immunes sint) ob parificationem jam in pace religiosa stabilitam (Lutherani quoque a suis libris symbolicis tam fœda inquinamenta eliminant) in quibus Augustana Confessio & Evangelicorum statuum Religio impugnatur, edere, vel

(*) Omissa fuere hæc Fiscalis verba: *contumeliosis ac injuriosis verbis, impugnare ac traducere.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

vel iterato prelo committere deberent quod tamen, in quantum Religiosæ paci conforme est, Lutherani nunquam eis prohibere intenderunt, nec Cæsareus Fiscalis a suæ fidei addictis obtinere poterit. Insuper

XI. Ægre vel unicum exemplum reperiri poterit, quod post obtentam Religionis pacem, & rebus nunc in pace positis quidam Cæsareus Fiscalis librum symbolicum Ecclesiæ Evangelicæ velut impiis ac contumeliosis convitiis (inter quæ juxta fiscalis denuntiationem antea relatam numeranda esset simplex recensio & confutatio particularium Romanæ Ecclesiæ dogmatum ab Evangelica Ecclesia non receptorum) turgidum scriptum denuntiavit, talemque librum de probroso ac infami stylo accusavit, ac demum ille, qui ejusmodi librum ab omnibus Evangelicis statibus jam a longo tempore & respective jam a ducentis annis publice approbatum & de se sine minima legitima oppugnatione jam sæpius impressum nova editione vulgavit, fiscali judicio & ad enormem etiam viginti Marcarum auri mulctam condemnatus fuerit. Eapropter

XII. Hæc maxime stupenda agendi ratio vel ideo reprimenda est, quia secus Religiosa & Westphalica pax, quæ semper

Sæc. XVIII. per pro vinculo inter supremum Imperii Caput & membra habebatur, per
 A. C. 1737. tus everteretur. Quoniam

XIII. Si primum Imperialis Capituli conclusum die 19. Aug. conferretur cum Wezelianæ relationis in Fiscali nuntiatione contentæ relatione, haud obscure cognoscitur, (*) quod Buro de Wezel Smalcaldicos articulos quam famosum libellum denuntiavit & Imperialis Fiscalis haud parum eodem judicio recesserit, eorumque nullus Historicam præfationem a Seniore Mündeno his articulis præfixam, & cum tanta moderatione & circumspectione compositam, ut nihil reprehendi possit, prout par fuisse, legerit, ac perpenderit, sed præfationem

(*) Vel obiter Wezelianam relationem legenti luculenter patebit, hunc nullatenus questum esse de Lutherano dogmate in his articulis exposito, sed de Catholica fidei doctrina & Pontificis Persona in his articulis tam probrose, contumeliose & scurriliter ducta, & hac scribendi ratione pacem Belgiosam & Westphalicam quæ alterutrinus Religionem indignis ejusmodi probris lacessit, vetat, necnon concordiam inter Cives & Incolas, imo & supremum Imperii Caput & membra everti ingemuit.

Baro ex suo jam in aliis occasionibus **Sæc. XVIII.**
manifestato erga nos odio ad illegiti- **A.C. 1737.**
mam hanc relationem inductus fuerit.

Et

XIV. Præfatus Münden in suis (si-
ne tamen omnium Evangelicorum, no-
stroque præjudicio & sub reservatione
reservandorum) perdemisse exhibitis
vindictis satis sese purgavit ab ulterio-
ri accusatione, scilicet quod ex pulpi-
to illicita convitia in Catholicam Reli-
gionem ejusque cultum evomuerit, &
Francofordiensibus Novellis indecentem
excusationem inferi, ac in Smalcaldicis
articulis recens editis quosdam textus
(fors ipsos hos Dominos puduit eos
referre) majusculis literis imprimi cu-
rarit, & demum hanc editionem hu-
jatibus Evangelicis Prædicantibus nun-
cuparit. Tandem

XV. Nec nos, nec noster Senior
obstricti sumus, circa dogmata in Smal-
caldicis articulis relata & in fiscali de-
nuntiatione annotata, nempe de Papa,
Missa, Purgatorio & Divino Catholi-
corum cultu (prout tamen nobis facile
foret) cum Cæsareo Aulico-Imperiali
Fiscali coram NB. LAICO Imperiali Ju-
dicio calamis decertare; potius igitur
Fiscalis, si æquam querulandi ansam ha-
bere existimat, rem omnibus Evange-
licis statibus decidendam committere

Z z 3

debuif-

Sæc. XVII debuisse (*). Cum ergo, Augusti-
A. C. 1737 sine Imperator, Rex ac Domine, de
 „caussa agatur quæ rem mere Ecclesi-
 „asticam (**) necnon Augustanæ Confes-
 „sionis Clericum, qui limites officii Ecclesiasti-
 „ci excessisse accusatur, concernat, veluti
 „Imperialis Cæsareo-Aulici Consilii
 „jurisdictionis, ut nobis videtur, non est
 „fundata ac insuper Cæsarei sui Fiscalis
 „actio hac in re Religiosæ & Westphali-
 „cæ paci, necnon Cæsareis electio-
 „num

(*) Ex Imperatorum Capitulationibus art.
 r. constat, quod Imperator Christianam Ec-
 clesiam, & rempublicam, sedem Apostolico-
 Romanam, summum Pontificem, cum sit
 Ecclesiæ Advocatus, protecturum se atque
 defensurum juret. Si ergo Ecclesia, Ponti-
 fex &c. a quodam statu A catholicico vel ejus
 membro læditur, in verio ordine procedere-
 tur, si neglecto supremo ac jurato Advocato,
 pars læsa ad Lutheranos status recurreret, non
 sine maximo Cæsareæ auctoritatis præjudicio,
 utpote cui multis retro ante Lutherum sacra-
 lis Ecclesiæ Catholicæ & Pontificis, defensio
 inviolate competeat.

(**) Hucusque paradoxum videbatur præ-
 tensa hæc exemptio Prædicantium ab foro
 laicali, cum utique urbium Magistratus, pago-
 rum Prætores &c. ad quorum forum rei Prædi-
 cantes trahuntur, non sint Clerici.

„num Capitulationibus adversatur, & Sæc. XVIII.
 „non tam nos, quam omnes Evan- A. C. 1737.
 „gelicos status tangit atque ab eorum
 „Majoribus jam ante ducentos annos
 „approbatum, & hucusque absque ulla
 „controversia, & variis typis excusum
 „librum Symbolicum spectat, hinc spe
 „freti sumus, Cæsaream suam Maje-
 „statem fiscalem citationem contra præ-
 „fatum Münden contra fas extortam,
 „pro æquitate sua abrogaturam, quod
 „& perdemisse petimus, ac pariter Cæ-
 „saream suam Majestatem omnipotentis
 „Dei tutelæ pro perenni prosperitate,
 „& gloriosissimo Regimine usque ad ca-
 „nos annos protracto nos nostramque
 „Civitatem fidelissimi subditi in pretiosis-
 „simas ac inæstimabiles gratias ac fa-
 „vores debita submissione commenda-
 „mus, &c“.

§. XLI.

*Libellus supplicis ab ipso Prædicante
 ad Cæsarem transmissus.*

Præterea ipsemet hic Francofordiensis
 Pastor ad Imperatorem libellum
 supplicem dedit, in quo se accusatum,
 citatumque referens, fatetur, quod
 Lutherani ex præscripto S. Scripturæ
 NB. communi calculo propugnent,
 Z z 4 quem-

Sæc. XVIII
 A. C. 1737
 quemlibet laicæ potestati esse subjectum
 & Clericos reos æque ac Laicos profanæ potestati rationem reddere teneri, proin Imperatorē ex ipsis Protestantium principiis supremum Judicē hujus causæ per Fiscalem denuntiatae esse, cum autem Clerici Catholici duntaxat. Episcopi vel sedis Apostolicæ jurisdictioni subiecti sint, ab hac autem jurisdictione Protestantes art. V. §. 48. Osnabr. Pacis eximantur, inde conclusit Præco, nec Cæsarem in Præcones Episcopalem jurisdictionem habere, proin ipse utpote Clericus, etsi peccasset, coram nullo alio, quam Lutherano suo Principe conveniendus fuisset, ac propterea, ne suo ad Cæsarem recursu Lutheranis statibus eorumque juri præjudicium inferre videretur, contra Cæsarei Consilii jurisdictionem protestatur, ac declarat, se Cæsarem pro nuda ejusdem informatione adire. His præmissis accusationum capita diluere nitebatur, & quidem I. sibi obiici, quod contumeliose in Catholicam Religionem, ejusque cultum detonarit, hanc tamen accusationem non nisi vagis verbis esse conceptam: debuisset igitur Fiscalis specificè exponere, quænam Præco effutiisset, hunc vero certum esse, quod in suis Concionibus non nisi necessarium discrimen inter Lutheranam &

& Catholicam Religionem explicave- Sæc. XVIII.
 rit, (*) ei ergo sufficere, ut dicat, A. C. 1737.
*nego narrata, prout narrantur (**)* II.
 quod Smalcaldicos articulos probrosif-
 fimis calumniis refertos ediderit, ast
 opposuit Præco. non se, sed Luthe-
 rum has calumnias articulis inseruisse,
 eos vero a Principibus pro symbolico
 libro agnitos esse, proin Fiscalem offen-
 dere hos Principes, eoquod librum
 symbolicum pro libro convitiis pleno
 denuntiasset, inserta autem convitia
 genio illius sæculi esse adscribenda, ea
 vero illo ævo nullius offensionis fuisse
 (***) nec privato Theologo licere, in
 nova editione libri symbolici vel verbu-
 lum addere aut demere, proin nec has
 calum-

Z z 5

(*) Ergone hæc ab illa discernitur ex con-
 vitiis in Religionis Catholicæ dogmata, Pa-
 pam &c. effusis, & his juventutem imbui ne-
 cessarium est?

(**) Idem respondere potuisset Baro de
 Wezel ad imputatum odium in Lutheranos,
 utpote nonnisi vagis verbis enarratum.

(***) Ignorantiam prodit ille, qui sordi-
 dum ac lividum Lutheri calamum a nullo tum
 reprehensum fuisse scribit: ipse Melanchton
 hanc intemperantiam Luthero sæpius exprob-
 ravit.

Sæc. XVIII calumnias omittere (*) III. quod
 A. C. 1737. horrenda convitia majusculis literis stru-
 diose imprimi curarit, ad hoc reposuit
 Præco, Protestantibus liberum esse,
 an & quæ in suis libris symboli-
 cis majusculis literis excudi velint (**)
 id autem culpa typographi factum fuisse,
 qui ad normam Magdeburgensis libri
 concordiae hos articulos impressit. IV.
 Quod hunc librum Prædicantibus de-
 dicarit, id reponerat Præco, illicitum
 non esse, sed unicuique liberum, an
 laicis vel Ecclesiasticis suum librum
 nuncupare velit. V. Quod alios Præ-
 dicantes animarit, id agebat ipse, sibi
 ex Senioris officio incumbere, se ta-
 men de adhibenda moderatione cavisse.
 VI. Quod Cæsarei Consilii conclusum,
 & ex altera parte suam apologiam
 Novellis inseruerit, totique Orbi
 velut ad censuram exposuerit: ad hoc
 reposuit, nunquam sibi in mentem ve-
 nisse, perinde acsi Publicum velut ju-
 dicem Cæsarei conclusi constituere vel-
 let

(*) Tanta religione certe erga S. Sib-
 lia non usus est Lutherus.

(**) Cur autem duntaxat ea, quæ in con-
 tumeliam Religionis Catholicæ cedunt, ma-
 jusculis literis expressa fuere, nisi ut Lector
 magis ad ea attendat.

let, de cetero se suam defensionem pro
 tuenda nominis sui fama confecisse. His
 ita expositis Præco Cæsari supplicabat,
 ut ipsum ab imputata culpa liberaret,
 & Fiscalem ad expensas damnari ju-
 beret.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Præterea Lutheranus Francofor-
 diensis Magistratus die vigesima Sep-
 tembris omnia hujus causæ acta ad Ra-
 tisbonenses Protestantium Legatos
 transmisit, rogavitque, ut suos Prin-
 cipes eo inducerent, quatenus apud
 Cæsarem intercederent, vel alio modo
 statuum Evangelicorum jura, & præ-
 cipue jus in sacra & ab eo dependen-
 tem Jurisdictionem Ecclesiasticam, ple-
 namque conscientiae libertatem contra
 Cæsarei Fiscus assultus tueri vellent.
 Igitur Corpus, ut vocant, Evangeli-
 corum, pro more privatam hanc caus-
 sam, suam fecit, ac inde pars litigans
 effecta (*) die vigesima prima Februa-
 rii anno 1739. ad Imperatorem literas
 dedit, in quibus prius jam allatas ex-
 culationes rursus recoxit, addidit ta-
 men, hunc librum unacum convitiis
 (quæ in Smalcaldicis articulis inveni-
 ri non negavit) a Pace Westphalica
 esse

(*) Pars litigans simul Judex esse nequit,
 nec ad eam recurri potest.

Sæc. XVIII. esse confirmatum, proin in eo sine
A. C. 1737. Evangelicorum consensu nil mutari
 posse.

Capit. Ca-
 rol. VII.
 art. II. §. 6.
 Abdruck.

Attamen quæcunque demum in
 Prædicantis defensionem afferebantur,
 nunquam tamen satis læsæ Religionis
 Catholicæ, & turbatæ concordie cul-
 pa removeri poterat; imo ne ipsi qui-
 dem hujus Præconis fautores inficiari
 audebant, tam pace religiosa & West-
 phalica, quam plurimis recessibus &
 Imperatorum edictis severe inhibentur,
 ne alterutrius Religionis doctrina,
 ritus &c. contumeliis, & convitiis, si-
 ve demum ante hanc pacem jam fue-
 rint impressa. *sive recenti editione recolta,*
sive in libris symbolicis sive in aliis scri-
ptis, libris &c. contineantur, proscin-
dantur, cum quodvis hujus injuriæ ge-
neris semper finem a paciscentibus inten-
tum, scilicet mutuam pacem & con-
cordiam invertat, cumque Lutherani,
suam Religionem convitiis, probris,
& calumniis impeti, aut ejusmodi li-
bros, in quibus pro genio sæculi XV. &
XVI. ejusmodi dictoria in contumeliam
doctrinæ Protestanticæ olim insperia hæ-
bebantur, nova editione in vulgus
spargi nollent, ac propterea Cæsarei
Fisci Cæsaris totiusque Evangelicorum
opem implorarent, ita ob exactam pi-
rificationem utriusque Religionis & Re-
gulam

gulam P. W. sequitur, ut quod Luthe- Sæc. XVIII.
ranæ parti justum est, etiam pro parte A. C. 1737.
Catholica justum censeatur.

Cæterum hæc caussa tenuit usque ad annum hujus sæculi quadragesimum primum, quo Christianus Münden die nona Augusti vivis, hujusque litis fastidio, ac multæ pecuniariæ aliarumque calamitatum periculo ereptus est; anno autem sequenti Carolus VII. Imperator ita rem composuit, ut ex una parte Religionis Catholicæ indemnitati consuleret, severe prohibens, ne imposterum *in recens edendis libris ac chartis injuriosæ, & contumeliosæ* expressiones (quales in Smalcaldicis articulis a Luthero pro genio sui sæculi inveniri, ipsimet Protestantes haud negant, & ipsa eorum editio loquitur) divulgentur: ex altera vero parte ipsis quoque Protestantibus ita prospexit, ut suos libros symbolicos denuo typis edere libere possent, quin Fiscalis Cæsareus, sicut contra novas editiones symboli-
corum librorum Ecclesiæ Catholicæ, ita nec adversus novas editiones librorum symboli-
corum Confessionis Augustanæ addictorum, deinceps querelas movere possit, vel audiri nec Imperiale Au-
lico - Cæsareum Consilium vel Francofordiensis librorum
Com-

Sæc. XVIII. Commissarius hac in caussa uni parti
 A. C. 1737. magis quam alteri favere queat. Hæc
 sapientissime decreta etiam in Capitulatione
 Ejusdem Imperatoris art. II. §. 7. & 8. inserta habentur, & pariter
 in Capitulationibus Francisci I. & Josephi II. innovata reperiuntur.

§. XLII.

*Principes atque Illustres hoc anno
 denati.*

Hoc item anno non pauci ex Præfultis
 bus ac Principibus morti in prædum
 cessere, quos inter primus est Carolus
 Alexander Wirtembergæ Dux, qui
 multis victoriis contra Gallos Hispanos,
 & Turcas clarus die duodecima Martii
 repentina morte occubuit; de suorum
 Filiorum curatela & fatis infra men-
 tionem fiet. Die autem decima
 septima Februarii decessit Franciscus
 Carracioli Princeps de Cellamare,
 & vigesima tertia Martii Carolus Friedericus
 Adolphus Princeps hæreditarius
 Saxo-Weissenfelsensis & die undecima
 Martii Ludovicus Maria Josephus Princeps
 hæreditarius Bado-Badensis, am-
 bo aliquot duntaxat mensium infantes.
 Decima sexta vero ejusdem Mensis an-
 nos nata septuaginta quinque obiit Ed-
 munda

munda Theresia Maria Liechsteinia Sæc. XVIII.
 Princeps Vidua, necnon undecim post A. C. 1737.
 diebus Gabriel Paxea de Leon Dux de
 Arcos sexagesimo quinto ætatis anno
 & trigesima Martii Elisabetha Noel
 Portlandiæ Ducissa Vidua, ac demum
 altero post die Ludovica Henrietta Fran-
 cisca Bouillonii Ducissa Vidua nondum
 expleto trigesimo ætatis anno. Porro
 Mensẽ Majum vitæ suæ exitialem ha-
 buere sequentes duo, & quidem Caro-
 lus Fridericus quadrimus Princeps hæ-
 reditarius Brandeburgo - Onoldinus,
 Demetrius Michaelowitzius Princeps
 de Gallizin septuagenario major.

Tandem die nona Julii Joannes Ga-
 sto Magnus Etruriæ Dux sexagesimo
 sexto ætatis, & Regiminis anno deci-
 mo quarto ultimus Mediceæ stirpis mun-
 do valedixit, quo adhuc vivente de
 successione in hunc Ducatum acriter
 disceptatum, ipso Carolo Infante Hi-
 spano jamjam in Magnum Etruriæ Prin-
 cipẽ & præsumptivum Successorem per
 pacta inter Hispanos & Florentinos Mi-
 nistros noctu diei vigesimæ quintæ Au-
 gusti anno 1731. nominato: Superve-
 nerunt tamen alia pacta publica, vi-
 quorum in hoc Ducatu Franciscus Ste-
 phanus Lotharingiæ Dux, Imperato-
 ris gener successit, & Princeps Marcus
 de

Sæc. XVIII. de Craon Lotharingus, ejus nomine
 A. C. 1737. investituræ tabulas populo promulga-
 vit, ducatusque possessionem cepit,
 homagio & juramento fidelitatis ab om-
 nibus subditis exacto & Lotharinga
 Stanislao Lescinskio adjudicata.

Ceterum Joannes Gasto die vigesi-
 ma quarta Maij anno 1671. Florentis
 natus Patrem habuit Cosmum III. He-
 ruræ Ducem, & Matrem Margari-
 tham Ludovicam Gastonis Joannis Au-
 relianensis, qui Ludovici XIII. Fran-
 ciæ Regis Frater erat, Filiam. Joa-
 nes optimis Institutibus usus celeberrimo
 P. Henrico Norisio, & Antonio
 Magliabechio in idiomate latino, Phi-
 losophia, Theologia, aliisque libera-
 lioribus disciplinis egregium fecit pro-
 fectum & peragratis exterorum Prin-
 cipum Regionibus præcipue Berolini
 moram traxit, inde in patriam rever-
 sus urgente ipsius Patre nonnisi vigin-
 ti sex annos natus Conjugem vel quasi
 talem die 2. Julii Disseldorffii, duxit An-
 nam Mariam Franciscam, Julii Fran-
 cisci ultimi Saxo - Lavenburgici Ducis
 primogenitam, ac Philippi Guillelmi
 Palatino - Neoburgici Comitis juvenem
 Viduam. Verum hæc nuptiæ profus
 erant infauftæ, præterquam enim quod
 Conjux hæc impotentia impedimento
 labo-

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

laborare crederetur, insuper invalescente mutua animorum averfione, illa a suo Marito in Bohemiam paucis post annis recessit, nunquam deinceps in Italiam reversa. Supererat ex primis nuptiis unica ejus Filia Leopoldina Eleonora, quæ anno hujus sæculi decimo nono die quinta Februarii Ferdinando Bavarix Duci in Conjugem data est; Gastonis vero soror Maria Anna pariter sterilis Joanni Guilielmo Palatino Electori nupta, post Mariti sui mortem, cum ætate jam provecta esset, Sacro otio, & pietatis exercitiis se totandedit, reservata sibi quadraginta millium scutorum pensione annua. Ipse vero Gasto Dux, cum de hærede masculino desperatum esse videretur, jam anno hujus sæculi decimo octavo vivente adhuc Patre suo & postea anno 1725. & 1731. de suo Ducatu in eventum mortis suæ inter Principes armata etiam lingua negotiari, non sine magno animi mærore cernebat, ipse tamen anno 1737. quo obiit, Mense Januario successionem Lotharingix Duci ut mox retulimus, assertam ratam habebat, ipsiusque Ducatus possessionem aperiebat sua morte, quæ die nona Julii contigit, anno ætatis sexagesimo sexto, Regiminis decimo quarto nondum expleto: sepultus est in Majorum tumulo

Hist. Eccles. Tom. LXXV A a a Ec-

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Ecclesiæ ad S. Laurentium. Princeps erat ingenio acer, animo pacificus, scientiis ac præcipue idiomatum peritia insignis, singularis Germanorum Factor, solitudinis amans, cetera ferme semper adversa valetudine pressus: Porro tam benigno Principi uberrimis lacrimis præcipue parentabant ejus subditi, quos jam anno Christi millesimo septingentesimo vigesimo sexto ab annuis contributionibus liberos esse præcepit: Ejus laudes sine adulationis furore celebris Antonius Franciscus Gori hoc epitaphio complexus est.

„A. P. R. M. Joannes Gasto I. Et-
„ruriæ Magnus Dux VII. Cosmi III.
„Magni Ducis & Margaritæ Aloyisæ,
„Gastonis Aureliani Ducis, Filiorum
„Augustorum ultimus. Justus, pius,
„Clemens, optimus Princeps, hic si-
„tus est: Liberalibus Disciplinis egre-
„gie instructus, assiduo studio, rerum
„usu & cognitione, complurium lin-
„guarum peritia, miro ingenii acumi-
„ne ac perspicacia: in suos clementia,
„in exteros incredibili benevolentia or-
„natissimus: Pacatum imperium, quod
„a Parente sapientissimo acceperat,
„constantia, in difficillimis Reipublicæ
„temporibus prudentia, pacatissimum

„reliquit : Perpetuæ securitatis tran-
 „quillitatisque Conservator, Publici Bo-
 „ni Auctor maximus, quod Populorum
 „votis obvia liberalitate ac beneficentia
 „non suæ, sed publicæ Felicitati vi-
 „xerit : Pauperum Pater amantissimus
 „habitus est : spe tandem æternitatis
 „plenus, editis Christianæ pietatis il-
 „lustribus exemplis, tota Etruria sum-
 „mo mœrore luctuque confecta, deces-
 „sit VII. Idus Quintiles Anno MD.
 „CCXXXVII. vixit anno LXVI. mens. I.
 „d. XIV. hor. XI. Regnavit annos XIII.
 „mens. VIII. d. IX. Æternum victurus
 „Justissimus ac mitissimus Princeps“.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

Pariter die quarta Maij Ferdinan-
 dus Curlandiæ, Lifflandiæ & Senogal-
 liæ Dux supremum vitæ diem explevit,
 postquam octoginta duos ætatis annos
 cum semestri, & regiminis vigesimum
 sextum attigit. Erat sane adversantis
 fortunæ ludibrium, & potius nomine
 quam re Dux regnans; cum enim ma-
 sculi hæredis spes nulla esset, jam an-
 no hujus sæculi vigesimo sexto die vige-
 sima secunda Maij sui Optimates Mau-
 ritium Saxoniz Comitem in Successo-
 rem, incio & reclamante Duce, ele-
 gerunt, cumque Poloniz Rex utpote
 Feudi Dominus obstreperet, & in even-
 tum, quo Dux sine prole mascula de-
 cede-

A a a 2

cede-

Sæc. XVIII. cederet, Ducatum sibi vendicari postu-
A. C. 1737. laret, inde Ferdinandus graviter offen-
 sus, Petri II. Russorum Imperatoris,
 cui non ita pridem Vidua Curlandæ
 Ducissa Anna nupserat, opem impo-
 ravit, quo factum, ut Russorum copiis
 Ducatum occupantibus, Curlandi Proce-
 res sua jura a Polonis haud parum im-
 minui causantes per plures annos nunc
 horum nunc illorum patrocinium quæ-
 rerent. His vero controversiis finem
 imponendi fiducia animatus Dux, jam-
 jam exacto septuagesimo quinto ætatis
 anno die quinta Januarii anno 1731.
 Joannam Magdalenam viginti duorum
 adolescentulam Saxo-Weissenfelden-
 sem Principem sibi conjugio copulavit,
 suscipiendæ prolis masculæ spe concep-
 ta: Verum eodem anno, quo in Varo-
 viensibus comitiis eidem successorem
 sibi eligendi libertas fuit asserta, dece-
 sit, successorem denique habuit Joannem
 Ernestum Comitem de Biron, qui in-
 ter alia pacta polliceri jussus est, quod
 Catholicis liberam Religionis exerci-
 tium in suis ditionibus concedere, et
 que suis sumptibus Libæ novam Ecclē-
 siam erigere teneatur. Præterea die
 vigesima tertia Augusti septuagenaria
 vivis valedixit Sophia Christina Vidua
 Brandenburgensis Marchionissa; hanc
 dein fatali mortis necessitate die vige-
 sima

sima secunda Octobris sequebatur Ray- Sæc. XVIII.
 naldus Mutinæ Dux anno ætatis octo- A. C. 1737.
 gesimo tertio, Regiminis quadragesi-
 mo quarto, hic anno 1686. ad preces
 Jacobi I. Angliæ Regis, qui ejus Nep-
 tim habebat conjugem, die secunda
 septembris ab Innocentio XI. Cardina-
 lis creatus est, postquam vero Fran-
 ciscus II. ejus ex seniore Fratre Nepos
 anno 1694. improlis decesserat, deposi-
 ta purpura eidem utpote hæres proximi-
 mus, in Ducatu successit, infausto ta-
 men potissimum regimine; cum enim
 partes Austriacas immoto studio seque-
 retur, bis a Gallis Ducatu pulsus, bis
 denuo restitutus, in damni compensa-
 tionem ac fidelitatis præmium Novel-
 laræ Principatum, necnon Aradum in
 Hungaria a Carolo VI. Cæsare acce-
 pit.

Haud injucundum erit legere sepul-
 cralem inscriptionem, qua doctissimus
 Ludovicus Antonius Muratorius de-
 functo suo Duci parentavit: En ipsius
 lugubrem vocem: „Quis hic claudatur,
 „si quæris? Lector, accipe Rainaldus I.
 „Mutinæ, Regii. Mirandulæ &c. Dux,
 „Marchio Estensis, Rhodigiique Co-
 „mes, natus est VII. Kal. Maij Anno
 „Christi MDCLV. diem vero suum obiit
 „VII. Kal. Novem. An. MDCCXXXVII.
 „Antea S. R. E. Cardinalis, deinde
 „Dux

A a a 3

„Dux

Sæc. XVIII. „Dux creatus, singulari Pietate ac Re-
 A. C. 1737. „ligionis amore ita excelluit, ut in eo
 „vivum Christiani Principis exemplum
 „unusquisque semper animadverteret.
 „Tum solutus tum Conjugatus, rige-
 „tus continentiae Custos, temperan-
 „tiae in victu sollicitus sectator, nullis
 „unquam illecebris se dimoveri ab ho-
 „nestatis tramite passus est. Cum in-
 „clyta Brunsvicensium Ducum, nunc
 „in magna Britannia Regnantium, nec
 „interruptum per plura sæcula sangui-
 „nis nexum, affinitates etiam cum
 „Angustissima Austriaca Gente & cum
 „Potentissima Francorum Regum Pro-
 „sapia renovavit. Bellicas procellos,
 „quibus non semel agitatus est, invito
 „animo tulit, felici exitu superavit.
 „Erat illi eximia Ingenii atque Judicii
 „perspicacia, in politicis rebus rara in-
 „dustria atque sedulitas. Nullus ad
 „eum accedebat, qui eloquentiam non
 „miraretur, Prudentiam, Comitatem
 „& Affabilitatem encomiis non prole-
 „tate pressis nobile domicilium Mutinae
 „constituit, easque dotavit. Ut in ea-
 „dem Urbe sacra Tempia restauraren-
 „tur, pietas augetur, ut inter popu-
 „los pax & justitia regnaret, operam
 „perpetuo dedit. Ducatu Mirandolæ,
 „Marchionatu Concordiæ, Comitatu
 „Novel-

„Novellariæ in Italia, aliisque in Hun- **Sæc. XVIII.**
 „garia ditionibus avitum Principatum **A. C. 1737.**
 „auxit. Sed heu! mors omnia solvit.
 „Laboribus denique ac ætate confe-
 „ctus, Ducatus, suarumque virtutum
 „hæredem relinquens Franciscum Ma-
 „riam Filium, nunc in Servia & Bosnia
 „contra Turcas illustra bellicæ forti-
 „tudinis signa prodentem. Sepulchro
 „huic, quod ab Avia piissima Isabella,
 „Principissa de Sabaudia inchoatum,
 „sibi posterisque suis ipse perfecit, apud
 „Clericos Regulares corpus commen-
 „davit.

Eandem æternitatis viam die prima
 Decembris ingressa est Wilhelmina Ca-
 rolina Britannicæ Majoris Regina annos
 nata quinquaginta quatuor cum novem
 Mensibus. Eadem die mortalitatem
 exiit Ludovicus Alexander Burbonius
 Tolosanus Comes Ludovici XIV. Fran-
 ciæ Regis Filius nothus, qui post varia
 fortunæ fata anno ætatis quinquagesi-
 mo nono calculi doloribus succubuit:
 decessit quoque Zolkievri die decima
 nona Decembris septuagenarius Jaco-
 bus Ludovicus Sobiesky primogenitus
 Joannis III. Poloniæ Regis Filius: De-
 nique eodem hoc Mense obierunt Gui-
 lielmus Gustavus hæreditarius Princeps
 Anhaltino- Dessaviensis die decima sex-
 ta, Georgius Franciscus Brunsvico-

Sæc. XVIII. Guelpherbitanus Princeps die decima,
 A. C. 1737. Victor Lebrecht Princeps Anhaltino-

Bebenburgensis die quinta anno ætatis
 vigesimo sexto. Maria Josepha Anto-
 nia Vidua Princeps de Monte cucilli,
 quæ ferme septuagenaria Hyppolitop-
 li decessit, & ibidem Conventum tam vi-
 rorum quam Virginum Ordinis Carme-
 litarum Excalceatorum suo ære funda-
 vit. Andreas Doria Dux de Turfis die
 vigesima septima anno ætatis suæ non-
 agesimo octavo, & die vigesima septi-
 ma Decembris Victor Maria Dux Est-
 ræus Franciæ Par & Marecallus, an-
 nos natus septuaginta septem. Deni-
 que Mense Januario obiit Ema-
 nuel Antonius de Vilhane Lotts-
 nus Magister supremus Ordinis Equi-
 tum Melitensium Magister anno ætatis
 septuagesimo quarto, Regimini decimo
 quinto. Altera mox die Equites
 Raymundum de Pueig Nobilem Majori-
 canum Comitem de Montanegro Hi-
 spanum elegerunt, eoquod si intra tridu-
 um a morte Magistri novum non elige-
 rent, jus ad Papam devolveretur.

Inter Principes Ecclesiasticos pri-
 mus Mense Januario victima mortis ce-
 cidit æternæ vitæ maturus Alexander
 Sigismundus Episcopus Augustanus e
 domo Neoburgica Comes Palatini Rhe-
 ni,

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

ni, qui exornandis Diœcesis suæ Ec-
clesiis plurimos sumptus impendit, Di-
liganum P. P. Capucinorum Monaste-
rium construxit, Henrici V. Præces-
soris sui Episcopi decreta synodica con-
firmavit, & plurima profus egregia ad
promovendum Dei cultum, & discipli-
nam Ecclesiasticam maxime proficua
reliquit monumenta, Ne vero ullam
suæ Diœcesis vel reparandæ vel exten-
dendæ Ecclesiæ occasionem prætermi-
sisse videretur, anno Christi millesimo
septingentesimo septimo damna suis pa-
gis anno hujus sæculi tertio & quarto
illata reparari, a S. R. Imperio efflagi-
tavit, cumque ejus Frater Palatini
Electo assiduis morborum accessioni-
bus conficeretur, anno post Christum
natum millesimo septingentesimo trige-
simo secundo suum primæ admissionis
Ministram Comitem de Polheim Düs-
feldorpium allegavit, qui in eventum
mortis a Juliæ ac Bergensis ditio-
num Ordinibus homagium exciperet,
& possessionem Episcopi nomine adiret.
Verum provida hæc consilia mors ever-
tit; quippe Sigismundus jamjam die
vigesima quarta Januarii anno ætatis
suæ septuagesimo quinto, & Episcopa-
tus quadragesimo septimo decesserat,
non sine maximo omnium mœrore præ-
cipue pauperum & familiarium suo-
rum,

A a a 5

rum,

Sæc XVIII. rum, quorum fautor erat eximius.
 A. C. 1737. Successorem habuit Joannem Franciscum Baronem Schenk - Staufenbergium, qui jam anno 1714. die undecima Julii in Alexandri Coadjutorem electus erat & anni sequentis die trigesima Decembris per Baronem de Ulm Canonicum & Dominum de Heunisch a Cæsare feudi concessionem obtinuerat. Ejusdem Mensis die decima quarta mortuus est Caraffa Nolanus Episcopus, cui successus est Carraciolus del Sole, & die undecima Februarii Materanensis Episcopus nomine Maricoda. Die autem decima nona Martii mortalitatem exiit Joannes Conradus Baro de Reynach Basileensis Episcopus, qui suæ Ecclesiæ jura & bona contra Bernensium & Bielsenium attentata magnis sumptibus ac fastidiis tue-ri coactus, se fidelem Domini sui dispensatorem exhibuit, suosque rebelles subditos, ipso Imperiali Aulico-Cæsareo Consilio sententiam pronuntiante, compescuit. Successorem habuit Jacobum Sigismundum Baronem de Reinach, die quarta Junii electum, postquam Joannes Baptista de Reinach hujus Ecclesiæ Præpositus electus, hanc dignitatem acceptare, constanter recusaverat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

His adjungimus Claudium Visledou Episcopum Claudiopopolitanum, natione Gallum Sinensis Provinciæ Kuey-Chu Vicarium Apostolicum & Provinciæ Huguang Administratorem. Hic anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo quinto die tertia Martii Breftiæ portu solvit, Sinensi genti Evangelium prædicaturus. Quamprimum post laboriosissimam novem Mensium navigationem, mille pericula & incommoda Macaoum advenerat, in id unice intentus erat, ut Sinicas literas addiceret, quas etiam adeo celeriter ac perfecte attigit, ut ipsimet Imperatoris Filio summæ admirationi ea esset facilitas, qua Claudius difficillimos etiam Sinensium Codices explicaret. Volupe erit legere præfati hujus Principis testimonium Orientalium more verbis sesquipedalibus desuper Visleduo datum ac sericæ telæ inscriptum: *Testamur, aiebat Princeps, quod hic homo Europæus in cognitione & scientia nostræ linguæ altior sit, quam nostris verticibus nubes, & in penetrandis nostrorum characterum potestatibus profundior sit, quam abysus, super quas incedimus.* Hoc igitur idiomate probe instructus, sese expeditioni Apostolicæ totum dedit, alte tamen ingemuit, quod ex quorundam Missionariorum pertinacia agrum Evangelii

Sæc. XVIII. vangelicum adhuc Sinensis idololatriæ
 A. C. 1737. Zizaniis foede devastatum cerneret.
 Eapropter omnes Zeli ac ingenii sui vi-
 res impendit, ut superstitionem ibi suc-
 crescentem & sub falsis prætextibus te-
 leratam impugnaret, & sese eorum op-
 poneret conatibus, qui Evangelii dog-
 mata cum idololatricis prohibitisque
 Sinensium ritibus contra tot Pontifi-
 cum decreta copulare haud dubita-
 runt. Horum auctoritas cum Claudii
 ceterorumque Sedi Apostolicæ obtem-
 perantium conatibus superior esset,
 unica remedii spes reposita erat in pru-
 dentia Cardinalis Turnonii, quem sum-
 mus Pontifex Vicarium Apostolicum
 hac de causa Sinas ablegabat; cum
 hoc ergo Claudius operam suam iun-
 xit, tamque præclara suæ virtutis, in-
 genii, prudentiæ, charitatis & Zeli
 specimina dedit, ut Turnonius eum
 invitum licet ac diu reluctantem Epi-
 scopum Claudiopolitanum & Vicarium
 Apostolicum diceret, ac permitteret,
 ut is ab uno solo Episcopo, assistenti-
 bus duobus Presbyteris, sacra-retur.
 Hæc tamen solemnisi inauguratio, quo-
 minus iotra unius anni decursum fie-
 ret, obstitere hostium suorum vexatio-
 nes ac insidiæ, quas tandem eluctatu-
 rus velut per miraculum Gallica nave
 Macaoum, ubi Tournonius artibus il-
 lorum,

æc. XVIII.
A. C. 1737.

lorum, qui Confucii cultum pro aris & focus propugnabant, captus detinebatur contendit, ibidemque a præfato Vicario Apostolico noctu anno hujus sæculi nono die secunda Februarii Episcopus inauguratus est. Postea ejusdem anni die vigesima quarta Junii Ponticherium delatus, crebris literis a Clemente XI & Cardinale Sacripante S. Congregationis de Propaganda Præfecto animatus erat, ut Pontificia decreta contra Sinenses ritus edita in Indiis executioni dari, omnibus viribus adlaboraret. Sponte currenti novum calcar addere superfluum videbatur; quanto enim studio, in superhabitis advertantium convitiis atque injuriis quarum ope ipsi in Franciam revocari moliebantur, fidei puritatem a superstitionum fœce illibatam conservare niteretur, elucet ex ejus literis ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem Mense Januario anno 1716. datis: *Die duodecima Januarii, referebat ipse, decreta ad me jussu summi Pontificis transmissa Pondicherii in Ecclesia PP. Capucinorum promulgavi; Prohibebantur per ea Malabariæ Christianis quidam superstitiosi ritus, quos amplecti consueverant; Hac vero decreta auctoritate mihi a summo Pontifice data, sub anathematis pœna publicari jussi: Infirmulor, quod hac promulgatione libertates Ecclesiæ Galli-*

Sæc. XVIII. Gallicanæ violaverim, nec deerant, qui
 A. C. 1737. has calumnias secundis auribus exciperent;
 ausim vero Sacræ suæ Majestati exponere,
 quod si Ea sententiam, qua promulgationem
 a me factam annullari petunt, confirmata
 sit, Gallicæ Missiones ibi incipient, ut
 Lusitanæ desierunt, scilicet in dissidiis &
 turbis. Insuper contra ipsum adversarii
 divulgabant in Indiis libellum calum-
 niis turgidum, in quo inter alia eide-
 m insulse objectabant, quod dives non
 esset, ad quod Apostolicus hic Vir re-
 spondit, *Potentissime Rex! fateor, me
 pauperem esse, & in hoc gloriabor in Do-
 mino, pauper natus sum, in paupertatis brachiis
 vixi, & in paupertate contentus mor-
 riar. Non alios Episcopatus mei vidit
 habeo, quam contemptum, injurias & cal-
 umnias, quas tamen ditissimis Europæ
 Episcopatibus longe præfero. Hæc Epi-
 scopi epistola, Rege Ludovico jamjam
 fati functo, in Gallias delata fuit,
 paulopost tamen ad illam Philippus II.
 Aurelianensis Dux Regni Administra-
 tor die decima quinta Februarii anno
 1717. hæc reposuit: Regi quidem nunti-
 tum erat, quod vobis falso injunctum fue-
 rit, ut Bengalam vel aliorsum emigra-
 tis, si vobis ita visum fuerit &c. Hic ergo
 Episcopus tanquam generosus miles in
 sua statione firmus substitit, ac prælia
 Domini*

Domini intrepido animo commisit us- Sæc. XVIII.
 que ad extremam vitæ suæ diem, quæ A. C. 1737.
 hujus anni undecima Novembris erat:
 attigit annum ætatis octogesimum pri-
 mum, sepultus in Ecclesia Patrum Ca-
 pucinatorum.

Inter insignia ingenii sui monumen-
 ta, quæ posteris reliquit, celebriora
 sunt. I. Sinensis Imperii Historia ex
 Sinico idiomate in latinum versa notis-
 que illustrata, Tom. VI. II. Chrono-
 logia Sinensis III. Dissertatio ex Sini-
 co latine reddita unacum commentario
 in quoddam Religionis Christianæ mo-
 numentum anno Christi 1625. in Gin-
 ganfu Provinciæ Kensiensis rudibus
 casu repertum. IV. Dissertatio in Re-
 ligionem Tao - Su Bonziorum V. de
 perfecta imperturbabilitate liber Cano-
 nicus. VI. Succinctæ dissertationes in
 doctrinas Brachmanorum VII. Vita
 Confucii. VIII. Succincta Historia Ja-
 ponix. IX. Versio latina Sinensis ritua-
 lis. X. de ritibus & sacrificiis Sinen-
 sium. XI. Elogia septem Philosopho-
 rum Sinensium, XII. Chronologia Si-
 nensium XIII. Continuatio hujus Chro-
 nologiæ, usque ad initium æræ Chri-
 stianæ. XIV. Continuatio tertia usque
 ad præsens tempus. XV. De Religione
 Sinensi Brachmanica. XVI. Versio
 Gallica quorundam Sinensium edicto-
 rum

Sæc. XVIII. rum unacum notis. XVII. De antiqui-
 A. C. 1737. tatibus Regni Sinensis, aliarumque
 Orbis partium. Cæterum idem Epi-
 scopus quam plurimas adhuc relationes
 ad S. Congregationem de Propaganda
 (ubi adhucdum asservantur) perferri
 curavit, ex quibus luculenter patet,
 quamplurimos Apostolicis Decretis,
 quibus Sinenses ritus proscribentur,
 denuo his pertinaciter obstinisse. Inlu-
 per hoc anno die vigesima septima No-
 vembris Siami in Indiis decessit Jaco-
 bus Tessier de Queralay patria Nanne-
 tensis, Episcopus Rosaliensis, & Sia-
 mi Vicarius Apostolicus, qui per plu-
 res annos Siamense Seminarium om-
 nesque Indiarum Missiones Apostolica
 prorsus vigilantia rexit, & in ultima
 persecutione circa annum 1732. pro
 Christi nomine plurima perpressus est,
 & certe violentam mortem non effu-
 gisset, nisi ejus hostes retinisset reve-
 rentia erga Franciæ Regem, cujus vi-
 ces in hac regione ille, qui Siami tan-
 quam Vicarius Apostolicus residet, obi-
 re censetur.

Præter hunc pariter die undecima
 Septembris naturæ debitum solvit Lu-
 dovicus de la Tour Dupin - Mentallan
 Sorbonæ Doctor, & Toloniensis Episco-
 pus, qui non modo Constitutionem *Uni-*
genitus, sed etiam quadraginta Episco-
 porum

porum Instructionem & concordiam Sæc. XVIII.
 prompto obsequio acceptavit, suoque A. C. 1737.
 exemplo obstinatos Præsules, si non
 ad resipiscentiam, saltem ad confusio-
 nem pertraxit.

Obiit etiam Ulyssipone Mense Ap-
 rili Sebastianus d' Andrade - Pessanha
 Goanus Archipræsul, ac Indiæ Orien-
 talis Pro-Rex; pariter Gaetanus Epi-
 scopus, dum iustrandæ suæ Diœcesi
 operam daret, Mense Majo repentina
 morte sublatus est. Mense autem Ja-
 nuario Cyprianus Gabriel Bernhardus
 de Rezay Engolismensis Episcopus an-
 no ætatis suæ octogesimo sexto dece-
 sit, qui semper appellantium factioni
 adhæsit. Successorem habuit Abbatem
 Verdierum. Porro magna nominis sui
 fama gregem suum nimis præmatura
 morte viduum reliquit Quiqueranus
 de Beauieu Mirapicensis Episcopus non
 nisi triginta sex annos natus, ac die
 secunda Augusti mortuus. In ejus lo-
 cum a Franciæ Rege nominatus est
 Abbas de Champflour Claramontani
 Episcopi Vicarius Generalis. Præter
 hos mortuus quoque est die quarta
 Februarii Carolus S. R. I. Princeps &
 Abbas Corbejensis de Plittersdorff, cui
 competitore neglecto Barone de Für-
 stenberg Monasteriensi Canonico, suffe-
 Hist. Eccles. Tom. LXXV. B b b ctus

Sæc. XVIII. A. C. 1737. ctus est die decima septima Martii Cæ-
 sparus de Böselage, qui anni sequen-
 tis die quarta Martii a Cæsare investi-
 turam accepit perorante Barone de Karg
 Trevirensi ad comitia Legato & Kri-
 faio gratès per luculentam orationem
 referente. Ejusdem anni die tertia
 Maij anno octavo sui regiminis vivere
 desiit Nicolaus Masin S. R. I. Princeps
 Abbas Stabulensis, post cujus obitum
 die secunda Augusti electus est Deoda-
 tus Drion. Insuper die tertia Novem-
 bris Hammelsburgi fatis functus est
 Adolphus S. R. I. Princeps Abbas Ful-
 densis e Baronibus de Dalberg per un-
 decim sui regiminis annos suorum ju-
 rium contra Eisenacenses & Meinunga-
 nos Principes Vindex acerrimus, &
 novæ Universitatis Fundator liberalissi-
 mus: decessit anno ætatis quinquagesi-
 mo nono, ac Regimen suum transtulit
 in Amandum Baronem de Buseck an-
 tea Præpositum, qui die undecima De-
 cembris unanimi suffragio electus fuit.

Ex A catholicis Pseudo-Præfatis
 die quarta Februarii annos natus sep-
 tuaginta novem mortuus est Wilhelmus
 Wake Cantuariensis Archiepiscopus,
 relictis plusquam centies mille sterlin-
 gorum libris. Pariter Carolus Cecil
 Bangeretanus Lumley Equitis unice
 Filia

Filiæ copulatus Episcopus die decima
Junii in locum suum abiit.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XLIII.

*Scriptorum Religione Catholicorum
opera & obitus.*

Præter hos adhuc plures ex scriptori-
bus Catholicis hoc anno calamum
cum vita posuere: horum lucubratio-
nes posteris relictas recensere haud abs-
re erit: & quidem primus occurrit Jo-
annes Baptista Cassottus Historiæ sa-
cræ & profanæ Professor Florentinus,
qui edidit Historiam Parochiæ B. V.
de Impruneta, vitam Benedicti Bon-
matthacii, præfixa Syntagmati ejus de
lingua Tuscanica. Historiam de con-
structione Regii Monasterii Neapolitani
D. Francisci de Scarionibus, præfatio-
nes & annotationes in carmina & ser-
mones utriusque Bonacursii, Praten-
ses olim Præpositos nunc Episcopos,
tractatum de origine progressu & præ-
senti statu Urbis Prati, piam Ascetin-
in D. Mariæ Magdalensæ Pacis hono-
rem, vitam Henrici Barillonii Præsu-
lis Italice redditam, tractatum de dili-
gendo Jesu, præter plura alia nondum
edita. Obiit in sua Parochia octogena-
rius Mense Julio. II. Joannes Maria Ber-
tolus

B b b 2

tolus

Sæc. XVIII A. C. 1737. tolus Ord. Servorum B. V. patria Venetus, & Jurisprudentiæ Professor Vicentinus, e cujus calamo profluxit medula in summam Henrici, & Concilium Tridentinum seu Canones de Sacramentis dissertationibus scholasticis, dogmaticis, moralibus, polemicis &c. illustrati Tom. III. Decessit Vicentiæ quinquaginta novem annos natus Mense Novembri. III. Josephus Carolus Constantius Amici Bononiensis, qui scriptas vitas Sanctorum ad quemlibet anni diem, & instructionem pro celebrando festo S. Philippi Nerei prælo subjecit: mortuus est die vigesima sexta Februarii anno ætatis nonagesimo secundo. IV. Ludovicus de Targny Abbas & Sorbonæ Doctor, qui quadraginta Franciæ Præsulum Instructionem Pastoralem circa Constitutionem *Unigenitus* composuit, & jussu Cleri Gallicani omnia ejusdem Cleri decreta annotationibus illustravit Tom. VI. Insuper consilium ad conciliandam hanc controversiam utile elucubravit. V. Jacobus Giacometti Paduanus, qui edidit quatuor orationes latinas, quarum primam habuit occasione Seminarium prima vice a Cornaro Cardinale visitati, alteram in obitu Cardinalis Thomasi, tertiam inauguralem, & quartam in secundum Rhetorices librum Ari-

Aristotelis. Obiit Patavii die duode- Sæc. XVIII.
 cima Maij anno ætatis septuagesimo A. C. 1737.
 secundo. VI. Joannes Claudius Som-
 mier Cæsariensis Archiepiscopus &
 Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Didacum
 Præpositus, qui elucubravit Orgia
 Alicapellana, Historiam dogmaticam
 Religionis, Historiam Ecclesiæ ad S.
 Didacum, Historiam dogmaticam Sa-
 cræ Sedis emendatam, epistolas Be-
 gonii Episcopi & Comitis Tullensis,
 Panegyri in Carolum V. Lotharingæ
 Ducem, elogium funebre Carolinæ
 Elisabethæ Lotharingæ, Remerici Mon-
 tis Abbatissæ, statuta Synodi ad S.
 Didacum an. 1731. celebratæ, & Apo-
 logiam Historiæ Ecclesiæ Tullensis. Vi-
 vere ac scribere desit die quinta Octob-
 ris VII. Constantinus Roncaglia Cleri-
 cus Congregationis Matris Dei, Theo-
 logus præstantissimus, ac meritis ple-
 nus, cujus opera recensere, & laudes
 non meo, sed dignius alieno recentio-
 ris cujusdam scriptoris calamo profequi
 decet: En ipsius verba,

„Ortum habuit Constantinus Lucæ Suppl. ad
 „e patritia Roncagliorum familia patre Na. Alex.
 „Antonio, & Maria Lucida Diversia H. st. p. XVI
 „parente, anno Christianæ salutis 1677. an. 1778.
 „Præstans a natura ingenium, opti-
 „mamque sortitus indolem, utrumque

Bbb 3

„ex“

Sæc. XVIII. „excoluit ; illud sub egregiis in patria
 A. C. 1737. „magistris ; hanc vero in paterna do-
 „mo vigili parentum religiosissimorum
 „diligentia. Ea in exercitatione pro-
 „fecit pro expectatione : nam vix ex-
 „ephebis egressus religiosum vitæ pro-
 „positum arripuit , nomine suo dato
 „inter clericos Regulares Congregatio-
 „nis Matris Dei , quorum religiosam
 „vestem induit in Collegio Neapolitano
 „S. Mariæ in Porticu anno 1693. exa-
 „ctoque dein biennio solemni voto-
 „rum nuncupatione religiosæ vitæ pro-
 „fessionem sese tenacius devinxit. Nihil
 „ex tunc in viro non religiosum : mo-
 „rum castimonia eximia , virtutum ex-
 „ercitatio assidua ; in præfecturis , quas
 „in Lucensi Collegio obivit sæpe , dili-
 „gens , & prudens ; in morbis toleran-
 „dis patiens , & quod erat multis ad-
 „mirationi , morbi obstinati molestiis
 „vexatus semper , nunquam tamen ad
 „extremum usque spiritum ab instituti
 „sui muneribus obeundis exemit sese ;
 „sacras fidelium exomologeses excipie-
 „bat , tantum non perpetuo , concio-
 „nes habebat quam crebras , ac fervi-
 „das ; pios doctosque libros scribebat ,
 „quam spissos elaboratosque. Hæc viri
 „cultura , messem copiosam collegit.
 „Demonstrant id libri luci publicæ , &
 „utili-

„utilitati donati, nequid dixerim de Sæc. XVIII.
 „consultationibus doctissimis, quas pri- A. C. 1737.
 „vatis scriptis dedit, quum de rebus
 „gravissimis frequenter interrogaretur.
 „Primo omnium juvenis adhuc, taci-
 „to auctoris nomine evulgavit libellum
 „quo plus nimio familiares virorum,
 „& mulierum consuetudines, quales
 „nunc obtinent alicubi, ad Theologiæ
 „Moralis momenta expendit: *Quædam*
 „*conversations, & earum vindiciæ colla-*
 „*tæ cum principiis Theologiæ opera cujus-*
 „*dam Religiosi Congreg. Matris Dei Tom.*
 „*l. 8. Luccæ per Dominicum Ciuffeti 1710.*
 „eundemque dein librum resingens,
 „novamque in imaginem effigiatum,
 „iterum produxit anno 1720. sub hac
 „inscriptione: *modernæ conversationes*
 „*obsequiosorum Matronarum Adoratorum*
 „*examinate a Constantino Roncaglia; ac*
 „denique tertio auctum paulo ante obi-
 „tum suum recudit. Proxime sequuta
 „est *Christiæ familiæ institutio*, qua of-
 „ficia tum conjugum inter se tum in fi-
 „lios ac filiorum in parentes ex Mora-
 „lis Theologiæ statutis definit. *Fami-*
 „*lia Christiana instituta in suis officiis. Per*
 „Constantinum Roncaglin &c. *T. l. 8.*
 „*Luccæ apud Pellegrinum Frediani 1711.*
 „Utilem hunc, parvæ licet molis libel-
 „lum, venetorum præla reproduxerunt
 „anno 1713. typis Natalis Feltrini. Ex-
 B b b 4 „cepit

Sæc. XVIII. „cepit hos omnes libros *historia de varia-*
 A. C. 1737. „tione dogmatum fidei inter Protestantes,
 „quam ex Bossueti insigni opere accep-
 „tam Italice dedit. Libri titulus hiecit:
 „*Historia variationum in Ecclesiis Pro-*
 „*testantium*, a Constantino Roncaglia
 „&c. Tom. 1. in 8. Luccæ 1712. apud
 „Pellegrinum Frediani restitam tamen,
 „variata & a Gallicana illa diverso
 „ordine digestam. Successit liber: *Es-*
 „*sectus reformationis a Lutero & Calvino*
 „*facta & de Jansenismo*, Tom. 1. 8. Luccæ
 „1714. apud Pellegrinum Frediani. Ho-
 „rum librorum moles exigua; major
 „operis succedentis: *Quæsitæ dogmati-*
 „*ca & moralia de S. Ecclesiæ Sacramentis*
 „Tom. 1. fol. eodem in loco & officina
 „excusum anno 1715. Post hæc triennio
 „quas in Cathedrali Lucana Ecclesia de
 „S. Scriptura in frequenti Auditorum
 „confessu lectiones habuit, typis vulga-
 „vit, Antichristi facta ex Scripturarum
 „oraculo depromens; libri titulus: *Le-*
 „*ctiones sacre circa adventum Antichristi.*
 „Tom. 1. in 8. prodiit Luccæ anno 1718.
 „typis Leonardi Venturini, quo pariter
 „anno ex eodem Venturiniã typo-
 „graphia exiit in lucem vita Leopoldi I.
 „Imperatoris a Roncaglia Italice scripta.
 „Moliebatur interim majoris mo-
 „menti opus vir doctissimus, quem
 „nempe pluribus annis in florentissimo
 „Col-

„Collegii sui Lycaeo explicaverat, mo-
 „ralem Theologiam universam geminis
 „justæ molis voluminibus comprehen-
 „dere, nec plus æquo diffusam, nec
 „magis, quam par sit coarctatam, or-
 „dine & methodo digestam, simul in-
 „dicans in calce singulorum capitum,
 „quæ sit practica doctrina ex rebus in
 „capite illo discussis inferenda. Opus
 „illud tandem absolvit, ediditque eis-
 „dem Venturini typis anno 1730. tan-
 „toque cum plausu exceptum est, ut
 „brevis annorum undeviginti complexu
 „voluminibus omnibus Lucensis editio-
 „nis emptorum aviditate exhaustis, se-
 „mel, iterum, & tertio Venetis typis
 „recudendum fuerit. Editio prior Ve-
 „neta cæpta est anno 1731. postrema
 „absoluta anno 1738. apud Franciscum
 „Pitteri Tom. 2. fol. Sed inter tot viri
 „summi labores primas obtinent adno-
 „tationes in historiam ecclesiasticam P. Na-
 „talis Alexandri, tandem tot egregiis
 „perfunctus laboribus, singulari, qua
 „vixerat pietate obiit vir præclarus 27.
 „Februarii anno 1737. Cl. Sartheschius
 „in opere de Scriptoribus Congregatio-
 „nis Matris Dei Art. XXXVIII. plu-
 „ribus de illo agit“.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1737.

VIII. Franciscus Josephus Bourgoin
 de Ville fore, qui posteris reliquit vi-
 B b b 5 tam

Sæc. XVIII. tam S. Bernardi primi Claravallensium
 A. C. 1737. Abbatis, vitas SS. Patrum in eremis
 Orientalibus, vitam S. Theresiæ, &
 anecdota in Constitutionem *Unigenitæ*,
 quod postremum tamen opus Petrus
 Lafiteau Sistaricensis Episcopus acriter
 impugnavit, tantumque effecit, ut
 Franciæ Regis jussu supprimeretur. Hic
 idem Auctor opera S. Augustini, Ho-
 milias & epistolas S. Hieronymi Galli-
 ce reddidit, pluresque edidit disserta-
 tiones. Tandem vero die secunda De-
 cembris Parisiis vitæ suæ finem fecit.
 IX. Philippus Hecquet Carmelita Pari-
 sini Monasterii in suburbio S. Jacobi,
 antea Medicæ Facultatis Doctor Re-
 gens & Decanus, qui per triginta om-
 nino annos nec carnibus vescabatur,
 nec vinum gustabat, mortuus die duo-
 decima Aprilis annos natus septuagin-
 ta quinque. Scripsit tractatum de ob-
 ligatione Matrum suas proles lactandi,
 & quam indecens sit, ut Viri obstetri-
 candi officio fungantur: edidit quoque
 tractatam de dispensatione in jejuni-
 o quadragesimali, medicinam Theologi-
 cam, naturalismum convulsionum, con-
 vulsionum causam finitam, & convul-
 sionum ludibrium explosum, respon-
 sum ad Confessarium circa obligatio-
 nem Medicorum & Chirurgorum que-
 ad miracula & convulsiones, duas epi-
 stolas

stolas Parisini Medici circa miraculum Sæc. XVIII.
 in foemina suburbii S. Antonii patra- A. C. 1737.
 tum, præter plurima alia opuscula Me-
 dica. X. Elisæus Monsignani itidem
 Carmelita S. Theologiæ Magister edi-
 dit Bullarium Romanum complectens
 omnes Pontificum Constitutiones ad
 hunc Ordinem spectantes. Obiit Ro-
 mæ Mense Novembri. XI. Carolus Cor-
 nacciolus ejusdem Ordinis, qui publi-
 co prælo vulgavit decreta Synodalia
 Bobiensis Diœcesis, prolusiones de
 Scholastica Theologia, & varias epi-
 stolas, in quarum una suis subditis præ-
 cepit, ut Constitutionem *Unigenitus* per
 publicum actum *Simpliciter*, puro cor-
 de, nullis omnino conditionibus aut
 tergiversationibus admixtis, cum om-
 nibus & singulis in eo contentis integre
 acceptarent.

Porro ex Societate hoc anno obiit
 I. Claudius Buffier, qui Gallice edidit
 succinctam historiam Principum, nova
 elementa Historiæ & Geographiæ, lu-
 dum Historiæ universalis, exercitium
 memoriæ artificialis pro addiscenda
 chronologia, tractatum de primis ve-
 ritatibus, examen popularium præju-
 dicatorum, Aulam scientiarum, expli-
 cata argumenta solidiora veræ Religio-
 nis, & nonnulla aliâ II. Hadrianus
 Mins-

Sæc. XVIII. Minskowiki, qui edidit expeditam sa-
 A. C. 1737. latis viam, disputationes de Deo uno
 & trino, de incarnatione & excellen-
 tia B. V. tractatum de Angelis & sine
 ultimo. III. Stephanus Sczaniecki, qui
 scripsit profectorem puerorum in vir-
 tute & sapientia, responsonem Catho-
 licam ad sophisticas dissidentium novel-
 las, remonstracionem contra maledi-
 cam cujusdam Lutherani demonstra-
 tionem: quod Benedictus XIII. P. in
 multis articulis sit bonus Lutheranus
 &c. Propticon ad Magistros, & ap-
 pendicem libelli de famoso Dissidentes
 inter ac Catholicos negotio Thorunensi.
 IV. Franciscus Catoce, cujus editi
 libri sunt Historia generalis Regni Mo-
 golitani, Historia Fanatismi Religio-
 num Protestantium, Historia de Da-
 vidismo, Historia Quackerorum seu
 Tremulantium, Virgilius Gallice red-
 ditus cum notis & Historia Romana.
 Obiit die decima octava Novembris an-
 nos natus septuaginta octo V. Antonius
 Maria Lupius, qui vulgavit *dissertatio-
 nem & animadversiones ad nuper inventum
 Sucrae Martyris epitaphium*, & Historiam
 S. Ignati Martyris, & de ejus reliquia-
 rum inventionem. Hoc item anno Pisis
 decessit Franciscus Orlandi Ord. FF.
 Prædicatorum Theologiæ Doctor, qui
 posteris reliquit binas lucubraciones
 qua.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

quarum prima est, Duplex lavacrum
in Cœna Domini de S. pedum lotione
& de expiandis Altaribus. II. Orbis Sa-
cer & profanus illustratus. Pariter die
octava Aprilis Taurini satis functus est
Pantaleon Dolera Clericus Reg. Ministr.
Infirm. qui præter vitam S. Camilli de
Lellis edidit præclarum quadragesima-
le. Ejusdem hujus anni die vigesima
secunda Novembris, apoplexia tactus
anno ætatis octogesimo quinto decessit
Gerardus Capassius sub nomine Anto-
nii Gatti Ord. Servorum B. V. qui li-
bellum vulgavit, ob quem ingens Flo-
rentiæ & Romæ rumor est excitatus,
cui titulus: *nugæ Laderchiana*, ubi pro-
pugnabat, acta Passionis SS. Crescii
& Sociorum MM. quæ Laderchius ex
MSS. Codicibus ediderat, non levia
falsitatis argumenta præferre. Hanc
tamen criminationem Laderchius e-
mentito Petri Donati Polidori nomine
a se amoliri nitebatur. Denique Men-
se Majo extremum obiit diem Maria
Armellini Doctissimus Benedictinorum
Assisiensium Abbas, qui præter alia
conscriptit Bibliothecam Benedictino-
Cassinensem, relationem de Episcopis
Assisiensibus, Bibliothecam Synopti-
cam Ord. S. Benedicti nondum editam,
& vitam B. Margarithæ Conradi.

§. XLIV.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

§. XLIV.

*Infauſta Alberti Radicati Comitis
de Paſſeran fata.*

Ad quam abominandam malorum
abyſſum effrænata credendi liber-
tas ſenſim incautos pertrahat, fatale
ac ſtupendum documentum reliquit
Albertus Radicati Comes de Paſſeran
qui natione Italus a Catholicis Paren-
tibus liberaliter ac pie educatus, &
pro ingenii ſui perſpicacia haud vulga-
ri omnibus Natalium ſplendori con-
gruis diſciplinis mirifice imbutus erat;
quapropter a Victore Amadæo II. Sar-
dinjæ Rege arcanis conſiliis ac nego-
tiis admotus, præclara ſuæ eruditi-
onis ſpecimina edidit. Accidit, ut ſub
idem tempus Rex cum Sacra ſede circa
prætenta quædam jura, ut memini-
mus, acriter collideretur; ſelegebatur
ergo præ ceteris Paſſerani ſolertia,
cujus ſcientia, calami licentia, & lin-
guæ temeritas, quamvis certe inglo-
ria, tum vero non omnino inutilis eſſe
videbatur: Hic ergo ad tuenda Regis
jura plures elucubravît libellos, in qui-
bus Eccleſiæ, Pontificis, & curiæ Ro-
manæ prærogativas, actiones & jura
indomitæ furis, ſicut canes lunam,
allatrabat: Illius temporis iniquitas
hanc

Sæc. XVIII.

A. C. 1737.

hanc petulantiam aliquamdiu diffimulari suadebat, ne Pontifex, dum incendium extinguere crederetur, oleum in flammam affunderet: Postquam vero Religiosissimus Rex, qui causæ inimicus, Pontificis tamen suæque Majestatis amicus semper erat, compositis diffidiis Sacræ Sedi plene reconciliabatur, tum vero dilatæ poenæ locus esse cœperat; nilque propius esse videbatur, quam ut Comes, assentiente ipsomet Rege, ad S. Inquisitionis Tribunal raptaretur. Ipse vero a suis Amicis de periculo tempestive admonitus, clam aufugit, ac citatis equis in Angliam, tutum fanatici asylum, secessit. Nec tamen propterea inulta remansit ejus protervia; instructis enim judicii actis, ac mature discussis ejus scriptis, omnibus suis bonis exutus, absens licet, ad rogam condempnatus est. Hæc tamen infamia ejus nomini inusta adeo non ipsius cor penetraverat, ut potius obtenta liberius sentiendæ auræ, luxurianti ingenio suo freena laxaret, ac anno hujus sæculi trigesimo tertio plures libellos & præcipue Londini *Philosophicam dissertationem de morte* ederet, in qua præter alia quamplurima errorum monstra ac deliramenta propugnabat, hominis naturam esse æternam, omnisciam, omnipotentem, &

&

Sæc. XVIII. & ex innumeris Atomis conflata,
 A. C. 1737. eam vero in morte per naturalem ho-
 rum separationem penitus dissolvi, vi-
 tia ac virtutes nil nisi mera esse phan-
 tasæ figmenta, nullum inter utrumque
 esse discrimen, nulla crimina ne ipsa
 quidem, quæ etiam Ethnicis erant
 abominanda, esse fugienda &c. Tanta
 tamen hæc impietas non diu impetus
 remansit, Magistratus enim jussu Comes
 unacum Josepho Morgano Typographo
 & infamium horum scriptorum inter-
 prete in carceres conjectus est, a quibus
 nihilominus per suos Patronos,
 quales Religionis Illusoribus ubique
 præsto sunt, persoluto lytro paulo post
 liberatus est: Diutius tamen in Anglia
 subsistere minime ausus, clam Parisios
 contendit; cum autem nec ibi sacrile-
 go ac blasphemus suo calamo imperare
 posset, sed plura scripta Christianæ Re-
 ligioni summopere injuriosa divulga-
 ret, ut gladium jamjam ad vindictam
 evaginatum declinaret, toto Regno
 excedere cogebatur. Quodnam ergo
 aliud impietatis perfugium scelerato
 huic Deistæ supererat, quam Hollan-
 dia: igitur Amstellodamum delatus,
 sese impii Tindali sectatorem ac disci-
 pulum publice professus est divinas re-
 velationes palam impugnavit & dig-
 nas suo Magistro rapsodias edidit ac
 de-

demum anno Christi supra millesimo septingentesimo trigesimo sexto Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

Batavis literis excudi curavit diversorum libellorum collectionem, seu verius omnium spurcitiarum, & errorum cloacam, in quam ipse, sibi-que similes Deistæ suum virus in Papam statumque Ecclesiasticum necnon suas blasphemias in Religionem Christianam pleno alveo infuderant: Tales erant hi libelli ibidem in unum volumen collecti sub his titulis: 1. Duodecim sermones morales, historici & Politici. 2. Historia Professionis Sacerdotalis, veteris & modernæ. 3. Nazaræus & Lycurgus invicem comparati. 4. Relatio sincera & comica Religionis Cannibalum hujus ævi. 5. Consilium, quo innumeri pauperes infantes Nationi nunc noxii, tunc utiles fieri queunt. 6. Sermo cujusdam Quackeri, & parallelum inter Religionem Mahometanam & illam Indorum ex Mogolis Imperio. 7. Principes Malabariæ &c. Præter hæc typis edita post ipsius mortem adhuc scripta reperiebantur hæc opuscula: Dissertatio de miraculis Salvatoris nostri, & alia de regimine Ecclesiastico & Politico. Hi nempe abominandi sunt fructus naturalis seu verius nullius Religionis. Fertur tamen quod hic Comes adhuc ante obitum

Hist. Eccles. Tom. LXXV. Ccc tum

Sæc. XVIII. tum suum, qui Mense Novembri Am-
 A. C. 1737. stello-dami contigit, cuncta adversus
 Christianæ Religionis veritatem scripta
 retractavit.

§. XLV.

*Scriptorum A catholicorum scripta
 & decessus.*

His insuper subjungimus quosdam ex
 A catholicis Scriptoribus, qui suis
 lucubrationibus celebre sibi nomen
 compararunt. Ex his primus est Chri-
 stianus Worm Sælandiæ Pseudo-Epi-
 scopus, qui scripsit de corruptis anti-
 quitatum Ebræarum vestigiis, Histo-
 riam Sabellianam, commentationem
 de calumniis Ethnicorum contra Chri-
 stianos, & de necessitate Baptismi par-
 volorum. II. Jacob Christophorus Me-
 lin Calvinista, qui posteritati reliquit
 Sebastiani Castellionis dialogos, tracta-
 tum de Canone N. T. contra Pontifi-
 cios, cogitata Theologica de insuffi-
 cientia Religionis naturalis, & depul-
 sionem calumniarum in Diario Galli-
 co, cui titulus: *Bibliothèque raisonnée.*
 III. Joannes Alphonfus Turretin idem
 Calvinista & Genevensis Præco, inter
 cujus ingenii monumenta a suis celeb-
 ratur Historiæ Ecclesiasticæ compen-
 dium

Sæc. XVIII,
A. C. 1737.

dium a Christo nato usque ad annum 1700. nubes testium pro moderato de rebus Theologicis iudicio, sermones de charitate & jubilæo Tigurinæ reformationis, & de lege libertatis, præter dissertationes de legibus naturalibus, aliasque orationes Academicas. Inter posthuma ejus opera recensentur commentarium Theologico - Practicum in binas Epistolas ad Thessalonicenses, & Criticæ, Theologicæ ac concionatoriæ prælectiones in cap. XI. ep. ad Rom. IV. Hieronymus Burkardt Basileensis, cujus præcipuum opus est oratio de Ecclesiæ imprimis novi Testamenti perennitate novaque Dei circa illam cura V. Joannes Rudolphus Cramer, qui prelo subjecit demonstrationes Theologicas de præcipuis veræ Religionis rebus, meditationem sacram in verba D. Pauli II. ad Cor. c. 5. v. 1. præter decadem Thesium Theologicarum. VI. Georgius Richter Lutheranus, qui edidit dissertationes de piorum nocumentis, ipsorum emolumentis, & de correctione fraterna. VII. Christophorus Dondorff, qui typis vulgavit dissertationes de aucupio famæ, de confessione tormentis extorta, de jurisdictione Ecclesiastica quatenus Magistratui municipali competit, de revocatione confessionis per tormenta extortæ & alia nonnulla

C c c 2

nulla

Sæc. XVIII. nulla VIII. Joannes Westenberg, qui
 A. C. 1737. scripsit de jurisprudentia D. Pauli Apo-
 stoli, de jure Rhadamanti, dissertatio-
 nes de usuris &c.

§. XLVI.

Decreta Synodi Namurcensis.

Præterea Thomas Joannes Franciscus
 de Strickland de Sizergh natione
 Anglus, Namurcensis Episcopus hujus
 anni Mense Aprili feria quarta majoris
 hebdomadæ in suo Palatio Episcopali
 Congregationem seu Synodum habuit,
 in qua acriter invecus in eos suæ Diæ-
 cesis Parochos, qui raro verbum Dei
 vel Concionibus ad plebem vel Catech-
 ismis ad parvulos per semetipsos annun-
 tiant: contra hos igitur sequens edidit
 decretum: „districte & in virtute cano-
 „nicæ, quam nobis in sua ordinatione
 „polliciti sunt, obedientiæ injungimus
 „& mandamus, ut Dominicis & Festi-
 „vis diebus sive conciones, sive Cate-
 „chismos ad gregis sui captum accom-
 „modatos, qua par est, diligentia &
 „sedulitate habeant: & ne quis eorum
 „suo imposterum desit officio, manda-
 „mus Decanis Christianitatis, ut eos
 „qui per tres septimanas hac in parte
 „defuerunt, nobis sine mora denun-
 tiant:

„tient: & Promotoribus nostris, ut Sæc. XVIII.
 „eos pariter sine mora citari curent, A. C. 1737.
 „pro negligentiae gravitate puniendos:
 „Officialibus denique nostris, ut in eos-
 „dem, prout in Domino visum fuerit
 „expedire animadvertant, & maxime
 „suspensione a Divinis.

Insuper eosdem etiam Pastores,
 ita prosequatur Episcopus, monitos
 volumus, alios tum Sacerdotes in eo-
 „rum Parochias a nobis esse mitten-
 „dos, qui eorum sumptibus tamdiu
 „vices eorum impleant, quamdiu ad
 „imbuendam doctrina Christiana ple-
 „bem necesse videbitur.

„Etsi vero tempus messis hoc nostro
 „Decreto maxime comprehensum esse
 „velimus, hortamur nihilominus &
 „obsecramus in Domino Pastores, ne
 „etiam hac anni parte, qua maxime
 „pluribus est periculis & corruptelis
 „locus, commissum sibi populum sine
 „ulla omnino instructione dimittant,
 „sed brevi saltem eum, prout res &
 „tempus tulerit, exhortatione reficiant
 „& consolentur.

Pariter idem Episcopus, ut a Cle-
 ro suo omnem malæ conversationis
 suspicionem amoveret, sequentia sta-
 tuta condidit. „Prohibemus, ne quis-
 „quam sacris initiatus Ordinibus po-
 „pinas, seu tabernas, seu domos
 C c c 3 „quas-

Sæc. XVIII. „quaslibet, ubi quibusvis passim tam
A. C. 1737. „Laicis, quam Clericis, vinum, ce-
 „revisiam, aquam vitæ, seu liquores,
 „qui vulgo The, Caffè, & Chocolat
 „nuncupantur, emendi & ibidem com-
 „potandi potestas est, vel adire, vel
 „in iisdem sive computationis, sive
 „lusus causa commorari audeat sub pœ-
 „na reservatæ nobis suspensionis ipso
 „facto incurrendæ.

„Si vero Confessarios regulares po-
 „pinas hujusmodi computationis pari-
 „ter aut lusus causa ingredi, vel in iis-
 „dem commorari contigerit; sciant
 „concessam a nobis confessiones exci-
 „piendi, vel verbum Dei prædicandi
 „facultatem ipso facto sibi abrogatam
 „esse, qua de re monebuntur a Pasto-
 „ribus Terminarii, cum primum ex
 „aliis Diocesisibus in nostram, subsidia-
 „riam impensuri operam, advenient.

„Fratres similiter laicos, vel alios
 „ruri quæstum instituentes, monitos
 „volumus, curaturos statim nos, ut a
 „Superioribus suis pro delicti gravitate
 „puniantur, si in popinis extra neces-
 „situdinis casum deprehensi fuerint.

„Præterea declarandum duximus
 „& hisce declaramus, nos omnem
 „omnino jurisdictionem seu confes-
 „siones excipiendi facultatem ipso facto
 „adimere Confessariis omnibus sive sæ-
 „cula-

„cularibus, sive Regularibus, qui cu- Sæc. XVIII.
 „jusvis confessionem exceperint extra A. C. 1737.
 „ambitum Ecclesiæ, nisi pœnitens gra-
 „vi adeo morbo, vel infirmitate laboret,
 „ut Ecclesiam adire nequeat, vel tali
 „ac tanta surditate, ut in eadem con-
 „fiteri non posset, quin a circumstanti-
 „bus audiretur.

„Eidem facultatem revocationis
 „pœnæ ipso facto incurrendæ subjace-
 „bunt, qui extra supra memoratos in-
 „firmitatis vel surditatis casus mulie-
 „rum confessiones exceperint alibi,
 „quam in sede vel quasi sede confessio-
 „nali, quæ in conspicuo Ecclesiæ loco
 „collocata, & assere perforato vel cra-
 „te interposita sit instructa.

„Cum autem nobis significatum
 „fuerit, sedes hujusmodi confessiona-
 „les in aliquibus deesse Ecclesiis, ad
 „earum constructionem menses duos,
 „a die datæ præsentium numerandos,
 „duximus esse concedendos, quibus
 „elapsis Decretum hoc nostrum in iis
 „etiam Ecclesiis locum obtinebit, quæ
 „modo non sunt ejusmodi confessiona-
 „libus instructæ.

§. XLVII.

*Württembergense pactum circa
 Religionem.*

Ccc 4

Jana

Sæc. XVIII. Jam anno hujus sæculi duodecimo
A. C. 1737. die vigesima octava Octobris Caro-
 lus Alexander Württembergæ Dux, He-
 ros suo ævo longe celebratissimus eju-
 ratis Lutheri commentis ad fidem Ca-
 tholicam revertebatur, nihilominus,
 ut jam supra retulimus, ad tuendam
 conservandamque sectam in suis ditio-
 nibus a statibus adigebatur: Postquam
 vero Dux hoc anno repentina morte
 sublatus fuerat, prima cura eo abibat,
 ut testamenti tabulæ, quas Dux eo-
 dem hoc anno die septima adhuc fir-
 maverat, promulgarentur. Eo fine
 igitur Carolus Rudolphus Neostätten-
 sis Lutheranus lineæ Wirtembergæ
 Dux die decima quarta ejusdem Men-
 sis Stutgardiam contendit, ubi publi-
 cato testamento compertum est, ditio-
 num Administrationem, & Tutellam,
 cum defuncti Filius natus maximus vix
 decimum ætatis annum ingressus, ob
 ætatem Regimini impar esset, Matri
 esse delatam addito in consortium Epi-
 scopo Bambergensi: Augustum vero
 Poloniæ Regem testamenti Executo-
 rem fuisse nominatum. Inde vero cir-
 ca relictos Ducis Pupillos eorumque
 tutellam necnon ditionum administra-
 tionem inter præfatum Carolum & re-
 lictam viduam Mariam Augustam quæ
 Anselmi Francisci Principis de Thurn
 &

& Taxis Filia Caroli Eugenii, Ludovici Eugenii Joannis, & Friderici Eugenii Filiorum Mater erat, Sæc. XVIII.
A.C. 1737. lis exorta fuit. Ipse enim Carolus Rudolphus utpote proximus Agnatus ægre ferre videbatur, quod delata Ducatus administratio sibi vel negata vel saltem arctioribus nonnihil limitibus restricta fuisset, & Bambergensis ac Herbipolensis Episcopi Co-Administratores nominati forent: Quocirca impugnato testamento Remchingium Belliducem aliosque Aulæ Ministros custodiæ dari jussit, eoquod ipsi hujus testamenti dispositionem procurasse, nimisque fervide propugnasse arguerentur, postea tutelam & administrationem sibi soli vendicavit, & recepto a statibus homagio possessionem adiit. Tandem vero hæc opera & consilio Caroli VI. Imperatoris composita est, ea lege, ut Maria Augusta Dux Vidua sit & nominetur sola ac suprema Tutrix, & Carolus Rudolphus supremus Administrator salutaretur &c. Ut autem pupillorum indemnitati, & commodo necnon status tranquillitati magis prospectum esset, circa statum Ecclesiasticum & Politicum, necnon administrationem & tutelam inter præfatum Ducem & serenissimam Viduam quædam pacta solemniter fuere conventa & die undecima

Sæc. XVIII. Januarii anni sequentis publica fide firmata. Porro duntaxat ea, quæ Religionem concernunt, referre, nostri instituti ratio postulat.

Articulus I. Cum Pupilli Principes in Catholica fide probe instituendi sint, hinc eorum educatio præfata Mariæ Augustæ Matri plene, & sine ullo impedimento aut limitatione ita relinquatur, ut ea illos in præfata Religione Catholica probe ac perfecte instituere, in omnibus virtutibus ac scientiis Principe dignis imbuere possit, sedulo tamen caveat, ne illis ulla principia patriæ Religionis, ac Imperii statutis, novioribus aut antiquis legibus contraria instillentur.

II. Eo sine Serenissimæ Matri integrum sit, tot Sacerdotes ac Informatores, quot ad privatum suum Deum cultum & filiorum educationem necessarij sunt tenere, dummodo eorum numerus non nimium excreseat, & eorum nomina Serenissimo Administratori, & designato Collegio Curatorio pro notitia communicentur, nec circa eos mutatio fiat, nisi gravis ratio urgeat. Quantum vero ad supremum Aulæ Præfectum, ceterosque tam superioris quam inferioris gradus famulos attinet, hi Serenissimo Administratori, præfataque Collegio præsententur, ut habita desu-

desuper prævia consultatione eorum receptio stabiliri possit. Sicut & cetera omnia ad horum Pupillorum educationem spectantia pari quoque cum consilio ac maxima sollicitudine decernantur, ita tamen, ut quantum fieri possit, sumptibus parcatur.

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

III. Insuper eadem Serenissima Mater ac Tutrix libere prospiciat de iis omnibus, quæ ad instituendum Divinum Religionis Catholicæ cultum totius suæ Familiæ necessaria fore & ad id aliunde requiri censebit, juxta modum & normam ab ipso Carolo Alexandro Duce adhuc vivente constitutam & Regni ac ditionis legibus, pactisque initis conformem.

IV. Administratio soli Carolo Rudolpho Duci tanquam proximo Agnato relinquatur, ea tamen lege, ut Serenissima Ducissa Maria Augusta juxta pacta inter præfatum Ducem & tutorium Collegium erecta de omnibus majoris momenti causis (exceptis causis Religionis, Ecclesiasticis & criminalibus vel ad eas pertinentibus) etsi forent publica, civilia, territorialia, & Oeconomica, liberam suo nomine quempiam ad ea decernendi facultatem habet, item & gratialia, nominatim majoris momenti honoraria vel pensiones ad civilia & militaria officia nominationes,

Sæc. XVIII, nes, & quidem a supremo Aulæ Præ-
 A. C. 1737. fecto usque ad Camerarium & a Præsi-
 de omnium Collegiorum (excepto
 Consistorio, & Consilio Ecclesiastico)
 usque ad Senatores in Collegiis inclu-
 sive per duos Consiliarios intimos re-
 ferre, de super suam sententiam propo-
 nere possit & demum in Curatorio Se-
 natu secundum majora Collegii decida-
 tur suffragia.

V. Cuncta, quæ vel Religionem,
 vel profana, vel politica spectant ne-
 gotia in statu, quo hucusque erant, &
 juxta pacta, datamque fidem relinquantur,
 nec minimum circa Lutheranam
 Religionem immutetur. Vicissim vero
 Religionis Catholicæ exercitium in eo-
 dem statu & libertate vigeat, prout
 supra articulo III. stabilitum est. Ad-
 versus tamen hæc pacta, utpote con-
 scientiæ libertati, & imperii legibus
 adversa Ickstädtius Herbipolensis Con-
 siliarius anno 1738. librum edidit, cui
 titulus: *Württembergensische Grundgesetze*,
 cui tamen Württembergenses Ordines
 Provinciales aliud scriptum oppolue-
 runt.

